DE FONTIBUS APUD VETERES SCRIPTORES, QUI AD SAUROMATARUM RES PERTINENT.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

**ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA**

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE VI. M. MAII ANNO MDCCCLXXII
HORA XII ET DIMIDIA

PUBLICE DEFENDET

ANTONIUS KALINA
POLONUS.

OPPONENTIUM PARTES SUSCIPIENT:

RICHARDUS BUENGER, CAND. PHIL.
ANTONIUS DRYGAS, DD. PHIL.

HALIS SAXONUM,

FORMIS PLOETZIANIS.

121

ILLUSTRISSIMAE SOCIETATI

A

CAROLO MARCINKOWSKI

IN MAGNO DUCATU POSNANIENSI

CONSTITUTAE

PROPTER PLURIMA BENEFICIA

IN SE COLLATA

PIO GRATOQUE ANIMO

HUNC LIBELLUM

DEDICAVIT

ANTONIUS KALINA.

'Εκ μέρους γὰρ γινώσκομεν καὶ
ἐκ μέρους προφητεύομεν.
Paul. Apostol.

Quum in studio rerum praeclare gestarum a veteribus populis, qui inter alios primas egerunt partes, cum suavitate summaque cum diligentia versemur, monumenta populorum, quorum res gestae minoris fuerunt momenti, quamquam reconditiora atque obscuritate obruta, quum saepissime memoriae ab ipsis non tradita sint, ea, quae apud exteros scriptores inveniuntur, nobis detegenda atque ab oblivione vindicanda sunt. Simili modo res se cum Sauromatis habet, qui ex tenebris in lucem per Graecos demum, qui mercaturae faciendae causa in eorum pervenerunt sedes, evocati, haud claram rerum suarum notitiam nobistr adiderunt; immo vero, quum rara ac dispersa fiat eorum mentio apud scriptores Graecos multo posterioris aevi, non satis accurate de eorum vita moribusque edocti sumus. Quae nobis de Sauromatis a Graecis, quos postea scriptores Latini expilarunt, traduntur, tam fabulose tamque perverse plerumque dicta sunt, et tantopere a rerum natura et veritate abhorrent, ut potius fabulae mendacis, quam fidei speciem nobis praebeant. Causa huius rei quum in diversis Sauromatarum et Graecorum moribus imparique ratione vivendi, tum in exigua harum gentium notitia, quae usque ad posteriora tempora Graecis fuit, posita est: huc accedit, quod fabula de Sauromatarum origine, quae eos cum Amazonibus coniunxit, maximi momenti fuit, ut res tam nova tamque congruens Graecorum ingenio, poetis materiam daret, qui eam in proprium modum depinxerunt atque exornarunt, cui poste-

riores rerum vere gestarum naturam tribuerunt. Amazonum fabula in numero earum ponenda est, quae quum ex singulari quodam deorum cultu initium cepissent, his potissimum, quasi affixae, locis inveniuntur atque apud eos populos, qui cultui illi praecipue favebant. Quam ob rem fabula illa ad cognoscendam Sauromatarum originem et affinitatem cum aliis populis multum valet, et quales fuerint antiquioribus temporibus eorum mores, qui aliunde ignoti tenebris occultarentur, nos docet.

Quum fere omnes scriptores, qui de Amazonibus scripserunt, earum sedes in Pontum, ad Thermodontem fluvium potissimum transferant, Diodorus Siculus, multos poetas et scriptores veteres, qui, ut Dionysius ille Mytilenaeus in Argonanticis[1], earum exposuerant fabulam, secutus[2] Amazones in Libya habitasse tradit, quae multa secula ante bellum Troianum interiissent. Sedes earum ad Tritonidem lacum in Aethiopum et Atlantis montis confinio, Dionysio illo auctore, ab initio fuerunt, unde, subactis plerisque gentibus[3], duce Myrina regina, quae cum Oro, Isidis filio, amicitiae vinculo coniuncta erat, per Aegyptum, tota fere Asia minore subacta, usque in Samothracen pervenerunt.[4] Quod attinet ad loca, quibus fabula Amazones commemorat et rationem, qua earum regina cum Oro, qui est ille Hor-hut, Rai sive Hormachu-Hormachis et Isidis filius[5], Graecorum vero Apollo[6], consociata, in Samothrace deorum Matri aras exstruit, satis apparet, originem eius historiae ex cultu quodam, qui his potissimum locis maxime divulgatus erat, emanasse. Regiones has, quae intra Amazonum fines erant, variae, Phoenicum colonis permixtae gentes incolebant, quae quamvis similibus

[1]) cfr. Mueller Frgm. hist. Gr. II p. 6—8.
[2]) Diod. III c. 52.
[3]) id. ibd. c. 54.
[4]) id ibd. c. 55.
[5]) cfr. Brugsch.: Die Sage von der gefluegelten Sonnenscheibe in Comment. Soc. Gotting. T. XIV p. 174.
[6]) Herod. II. c. 144, c. 156.

ac Libyes moribus essent eosdemque deos colerent,[1]) attamen proprio utebantur nomine, quod Gaetulorum vel Mazicorum erat. Nomen Gaetulorum vel Mazicorum, qui cum aliis, ut Aethiopibus, coniuncti, Melanogaetuli et Leucaethiopes appellabantur,[2]) latiore significatione in alias gentes, ut Berânis et Al-Butar,[3]) translatum, eas quoque, quae in septentrionali Africa usque ad Aegyptum habitabant, comprehendebat,[4]) quum iam Menoptah, Ramsis II (Sesostridis) filius, qui an. MDX a. Chr. mortuus est, contra Maschawascha (*Μάξυες*) cum Lebu coniunctos, prospere bellum gessisset.[5]) Postquam vero Phoenices saeculo XII, vel iam antea,[6]) colonias in Africam septentrionalem deduxerunt, cultus quoque deorum, qui una cum iis eo migraverant, ad finitimas gentes perlatus est. Hanc ob rem dea, quae apud Phoenices Astarte-Io nominabatur,[7]) in Aegyptum ut Astarte-Isis vel ut Helena translata est,[8]) ubi peregrinae nomen accepit.[9]) Neque minus ab aliis quoque gentibus, mutato tantum nomine, colebatur, apud quas eadem eius natura similisque forma atque apud Phoenices nobis occurrit. Tyriorum navibus e patria profecta,[10]) sub Didonis nomine[11]) quam Graeci Heram, Romani Iunonem appellabant,[12]) in Africam pervenit, ubi Carthagine condita, hasta curruque

---

[1]) Herod. IV c. 188; Strab. XVII 3, 7.

[2]) Ptolem. IV 6 p. 294 et 295 ed. Wilberg. Sall. Iug. 19, 5.

[3]) cfr. Movers, Phoenizien. II 2, p. 386.

[4]) Herod. IV c. 191, cfr. Baehr ad h. l. Scyl. Caryand. p. 47 ed. Huds. Ptolem. IV 3, p. 266.

[5]) vid. Lauth, die geschichtlichen Ergebnisse der Aegyptologie. Comment. Ac. Bavar. phil. Cl. 1869 p. 15.

[6]) cfr. Movers l. c. p. 137.

[7]) Apollod. II 1, 3 et Heyne ad h. l. cfr. Movers II, 2 p. 66.

[8]) Herod. I c. 5; Plut. de Is. c. 50; Movers I p. 236.

[9]) Herod. II c. 112.

[10]) cfr. Eckhel, Doctr. numm. vett. T. III. p. 365. 366. 367. 371. 381. 385.

[11]) Etym. M. p. 272 ed. Gaisf. cfr. Ersch. u. Gruber Encycl. sect. III. P. 24. p. 439.

[12]) Verg. Aen. I 15; Horat. carm. II 1, 25.

in ea relictis,[1]) inter Tritonidis praecipue lacus accolas vagabatur,[2]) a quibus indigena et Neptuni Tritonidisque filia ducta, quasi in aqua habitans nomen *Τριτογένεια* accepit.[3]) Atque templi, quod ei ad Tritonidem lacum, vel in insula eius erat, saepissime fit mentio,[4]) aeque ac cultus eius rationis, qua virgines, pellibus caprinis indutae, inter clamores, in duos partitae ordines, lapidibus fustibusque in eius pugnabant honorem, atque uni galea armisque impositis, curru circum lacum vehebantur, notitiam habemus.[5]) Quod Herodotus[6]) de ratione vivendi et consuetudine cum mulieribus apud has gentes narrat, qui mos et Caucasiis Massagetisque proprius fuit,[7]) tam apte in ea, quae de Amazonum bellicosa natura atque usu, qui iis cum viris erat, proferuntur, quadrat, ut nulla obvenire debeat dubitatio, quin Amazonum historia, iis praecipue nata locis, e cultu deae Astartes initium ceperit. Qui cultus quum apud gentes, quae Mazicae sive Amazicae appellabantur, antiquissimis temporibus floruisset atque ab iis in alias terras propagatus esset, earum quoque nomen, quod in Astartes ministras tralatum erat, cum eo ad alias gentes pervenit. Iam haec ratio, quod Amazones in Africa, Dionysio auctore, multo vetustiores ducebantur, in hoc convenit, illas Phoenices, qui haec loca multo antea, quam ad Pontum sita, frequentabant, secutas, ad Mazicarum gentes pervenisse, a quibus

---

1) Verg. Aen. I 15; Ovid. Fast. VI 45, cfr. Ersch u. Gruber l. c. p. 398 sq.

2) Herod. IV c. 188.

3) Herod. IV c. 180; Hom. Il. IV v. 515. VIII v. 39; Verg. Aen. II 226, V 704. cfr. Heyne ad Apollod. III 12, 3 et Creuzer Symbol. II p. 646. De nomine *Τριτογένεια* vid. Benfey, *Τριτωνίδ' Ἀθάνα* Feminin. des zend. Masculin. Thraê tâna athwyâna. Comment. Soc. Gotting. 1868. p. 47.

4) Scyl. Caryand. ap. Mueller Geogr. Gr. min. I p. 88; Strab. XVII 3, 20; Pompon. Mela I 7, 4.

5) Herod. IV c. 180. c. 189.

6) IV c. 180. cfr. Pompon. Mela I 7, 27.

7) Herod. I c. 203. c. 216.

cultus ille, ut iam Herodotus observavit,[1]) sine dubio per Phoenicum colonos aliis populis impertitus est.

Quum enim Phoenices, sive propter Aegyptiorum crescentem potentiam, quae Ramesse Sesostride regnante, longe in Asiam ad septentrionem spectabat,[2]) sive ob hanc causam, quod in Libya Numidarum magnum imperium exstiterat,[3]) prohibiti, quominus aeque prospere atque antea his locis mercaturam facerent, sive spe uberioris fructus ducti, septentrionem versus colonias deducere coepissent, per insulas et Asiae oras maritimas porro in Europam usque atque in regiones ad Pontum sitas pervenerunt. Quorum in his regionibus vestigia quum ex testimoniis variis fabulisque deorum, qui eos in haec loca secuti sunt, et ex scriptoribus posterioris quidem aevi, tamen haud contemnendae auctoritatis, tum ex nominibus ipsis, quae nobis servata Phoeniciam originem produnt, reperire possumus. Iam nomen *Ἄξεινος*, quod Ponto antiquissimis temporibus esse dicebatur, et postea demum in *Εὔξεινος* mutatum est, alienam declarat radicem, quam Graeci, non intellectam, quum propriae, quae est in *ξεῖνος*, similem esse duxissent, cum huius vocabuli significatione confuderunt. Neque dubitari potest, quin, quum Phoenices multis annis ante Graecos hoc mare frequentarent solique eius domini essent, eorum quoque nomine appellaretur. Quum vero radix, quae in vocabulo *ἄ-ξειν-ος* vel *εὔξειν-ος* est, simillima sit radici, quam in nomine *Ὑκσως* Graeci audiebant, quo gentes Asiaticae (semiticae), quae, regibus quartae decimae dynastiae regnantibus, in Aegyptum irruerant, appellatae sunt,[4]) facile factum est, ut nomen, quo Phoenices significabantur,[5]) mari

---

[1]) Herod. IV c. 189. c. 180.

[2]) Herod. II c. 103. cfr. Lepsius, Koenigsbuch der alten Aegyptier. Synopt. Tab. p. 6.

[3]) cfr. Movers II 2. p. 392.

[4]) Joseph. c. Apion. I 14. ed. Dind. *ἐκαλεῖτο δὲ τὸ σύμπαν αὐτῶν ἔθνος Ὑκσως τοῦτο δέ ἐστι βασιλεῖς ποιμένες.*

[5]) African. ap. Sync. p. 61: *πεντεκαιδεκάτη δυναστεία ποιμένων· Ησαν δὲ Φοίνικες ξένοι βασιλεῖς κτλ.*

Manetho frgm. ap. Sync. p. 61: *Ἑπτακαιδεκάτη δυναστεία ποι-*

quoque, in quo illi prae ceteris valebant, daretur quasi *Ὕξεινος* sive Phoenicum esset. Nam quod ad Graecorum opinionem, quam de huius maris nomine habebant,[1]) attinet, accomodatissima est eorum rationi, qua aliena nomina interpretati sunt, atque in fabulis, quas Phoenices de inhospitalitate huius maris et barbararum gentium ferocitate dispergebant, eo magis nititur.[2])

Itaque multo probabilior haec sententia esse mihi videtur, quam quae est Bocharti coniectura, qui appellationem *Ἄξενος* ex nomine Askenaz, quod Gomer filio natu maximo et Iaphetae nepoti[3]) fuit, derivat, quoniam gentes, quae hoc nomine comprehensae erant, mediterranea potius, quam maritima loca incolebant,[4]) cum in Phoenices, quos Graeci iam multo antea, priusquam ipsi eorum mercaturam aemulari coeperunt, non ignorantes, rei navalis peritissimos ducebant, optime conveniat.

Atque quum ex nomine ipso, quod mari, in quo Phoenices per longum tempus vetera negotia habebant, inditum erat, contendere possumus, haec loca, ad Pontum sita, haud ignota iis fuisse, tum fabulae deorum, qui eos pedetentim, aeque atque in Africam, in eas secuti sunt regiones, multo clarius Phoenicum vestigia ad Pontum produnt. Eadem Astarte, quae Phoenices in Africam secuta est, sub nomine Europae, cuius origo semitica est,[5]) eos septentrionem versus, aeque

---

μένες ἦσαν ἀδελφοὶ Φοίνικες ξένοι βασιλεῖς. cfr. Schol. in Plat. Tim. T. VII. p. 288 ed. Tauchn.

[1]) Apollodor. ap. Strab. VII 3, 6. Scymn. Perieg. v. 735. Anonym. Peripl. Pont. Eux. 86 (Mueller). Plin. VI 1, 1. Ammian. Marcell. XXII 8, 33. Eustath. ad Dion. Perieg. v. 146 in Huds. Geogr. T. IV p. 27.

[2]) cfr. Koehler, sur les îles et la course d'Achille p. 537 sq.

[3]) Genes. X, 3.

[4]) vid. Kiepert, Ueber die geographische Stellung der noerdlichen Laender in der phoenikisch-hebraeischen Erdkunde. Comment. Ac. Berol. 1859. p. 210.

[5]) Vocabulum Europa Pottius, Etym. Forsch. p. 272. ex ערב, forma Tyria derivat, quam Muellerus, Comment. Ac. Vind. phil. philos. Cl. T. XXXVII. 1861. 10 m. April. p. 39. cum vocabulo ה־רבה confert; Bochartus vero in Phaleg. IV 33, Herodotum IV c. 45 secutus, signifi-

atque eius ministrae Amazones, comitatur. In Syria, quod nomen primum latiore significatione usurpatum, postea certae nationi inditum est,[1]) cum dea, quae Tanais vel Anahiti appellabatur atque cum Semiramide collata erat,[2]) coniuncta est, unde in alias terras migravit. Atque variis locis, apud varios populos, eam invenimus, ut Paphi in Cypro et Cytherae, ubi a Graecis Aphrodita Urania appellata est[3]); in Samothrace, quae deorum Matri, quam Herodotus[4]) Isidem esse dicit, sacra erat, Amazones ei aras exstruxerunt, quarum ministri Corybantes, Magnae Deae, כבירת, כבירא, filii, erant.[5]) In Thracia quoque atque in Boeotia nota erat,[6]) quo etiam Amazones, ut sacerdotes eius, secutae sunt;[7]) Ephesi praecipue Amazones hanc deam, quae hanc ob causam nomen Ἀμαζών accepit,[8]) colebant[9]) atque templum ei illud clarissimum aedificasse dīcuntur.[10]) Tum in magis septentrionalibus regionibus, ad oram maris Aegaei et Ponti, Amazones in plerisque urbibus, ut Smyrnae, Cyme, Myrinae, Pitane, Sinope, commemorantur,[11]) quibus locis Astarte quoque colebatur. In Cappadocia vero, ad Thermodontem fluvium, earum sedibus collocatis, quum in tot aliis locis passim earum mentio facta esset, de illis expeditionibus atque magno Amazonum imperio opinio exorta

---

cationem ei tribuit, quae in vocabulo הורלאפא Ur-appa, quasi terra λευκοπρόσωπον, inest.

1) cfr. Noeldeke: Ἀσσύριος Σύριος Σύρος. Hermes, T. V p. 443.

2) cfr. Movers l. c. II 1, p. 173 nott. 48. 52.

3) I c. 105, Diod. II c. 4.

4) II c. 59. c. 156.

5) Herod. III c. 48, Diod. III c. 55, Strab. X 3, 21.

6) Diod. II c. 46. Steph. Byz. v. Τευμησσός.

7) Diod. IV c. 28. Plut. vit. Thes. c. 27. 28. cfr. Movers II 2, p. 85 sq.

8) Pausan. IV 31, 8.

9) Herod. I c. 26. Callim. hymn. in Dian. Steph. Byz. v. Ephesus.

10) Callim. h. in Dian. Plin. V 29, 115. Pausan. IV 31, 6. Pomp. Mela I 17.

11) cfr. Strab. XI 5, 4. XII 3, 21. Diod. III. 55.

est.[1]) Quae res quum de Astartes cultu, qui iam antiquissimis temporibus ad Pontum vigebat, tum de consuetudine, qualis inter varios esset populos, qui in hunc conveniebant locum, summum testimonium nobis affert. Neque dubitari potest, quin, quum terra Ponto finitima, quae propter divitias cuiusque generis clara erat, a mercatoribus ex media Asia, India, Phoenice[2]) frequentaretur, cultus quoque eorum varii, allati permixtique inter se, his locis maxime floruerint. Atque hanc ob causam Assyriorum quoque, qui antiquissimis temporibus haec loca subacta tenebant, saepissime ibi fit mentio, quo, quum mercaturae faciendae opportunissima ea cognovissent, vias quoque deduxerunt.[3]) Neque minoris momenti etiam posteriore tempore hae regiones erant, in quas Nebucadnezar varias gentes, ut Judaeos,[4]) qui Christi tempore in Taurica inveniebantur,[5]) colonos misit. Haec omnia abunde ostendunt, fabulam, quae Amazonum sedes ad Thermodontem potissimum collocat, cum ratione, qua variae, Assyriis Phoenicibusque permixtae gentes, ibi consociatae essent, artissime cohaerere, atque ex earum cultu moribusque, quibus ab Aegyptiis minime differre ab Herodoto dicebantur,[6]) emanasse. Ex his locis, ad Thermodontem sitis, Amazones Astarten secutae, per Thraciam[7]) ad Scythas vel primum in colonias, quae in

---

[1]) Lysias orat. funebr. Apollod. II 5, 9. cfr. Heyne ad h. l. II. p. 153. Diod. II 45. IV 16. 28. Pausan. I 2, 1; 41, 7. Plut. vit. Thes. c. 26. Pind. ap. Strab. XII 3, 9. Steph. Byz. v. Ἀμαζόνες.

[2]) Preller, Ueber die Bedeutung des schwarzen Meeres für den Handel u. Verkehr der alten Welt. Ausgew. Aufs. p. 141 sq.

[3]) Cephal. in Euseb. Chron Arm. T. I p. 96. 97. Pausan. X 31, 2.

[4]) Boeckh. Corp. inscrpt. Gr. T. II nr. 2114. b. Euseb. Chron. Arm. p. 53, Praep. evang. IX 41. Joseph. contr. Apion. I 20, Antiq. X 11, 1. cfr. Hitzig Commentar ueber die Kl. Propheten p. 354.

[5]) cfr. Chwolson, Achtzehn hebraeische Grabsteine aus der Krim. In Mémoires de l'académie impériale de Sciences de St. Petersb. VII série T. IX nr. 7.

[6]) II c. 104 sq.

[7]) Diod. II 46. IV 28. Justin. 4. Plut. vit. Thes. c. 27. 28. Strab. XI 5, 3.

Taurica erant, pervenerunt, ubi deae, quae *Ταυροπολος* nominabatur, et Marti sacra faciebant.[1])

Apud Scythas cultum huius deae maxime floruisse, ex iis, quae ab variis scriptoribus tradita sunt, et ex plerisque reliquiis monumentisque, quae hodie in his locis inveniuntur, apparet. Neque vero eorum indigena fuit, sed aliunde, et quidem, ut Herodotus tradit,[2]) Ascalone pervenisse dicitur, quam Scythae Artimpasam nominabant.[3]) Quae res iam satis eius alienam originem declarat, eamque nullam aliam esse atque Astarten-Anahiti,[4]) cui et Sanergi (San-Nergal) Comasyre IV. sec. a. Chr.[5]) et Cassalia, Posis filia, non procul a Phanagoria monumenta posuerunt,[6]) manifestum est. In hoc titulo alioque apud Boeckhium[7]) nomen eius Aphrodita Urania, quae et Apaturas, vocatur, legitur, neque aliena est ab Urania, quam Assyrii Aphroditen *Μύλιττα*, Persae vero *Μίτρα*, dicebant.[8]) Cum hoc concordat, quod Scythae Tanaidi fluvio deorum honorem tribuebant,[9]) qui mos quamquam latissimus apud veteres nationes erat,[10]) attamen iam nomen ipsum Tanais, quod tanquam tralatum e vocabulo âthwyâna-âptyânâ-âptya (rad. ap = aq in aq-ua) „in aqua colens" significat,[11]) quae notio in vocabulo Tanais (dan = aqua) inest, originem sacram, ex cultu Tanaidis vel Anahiti deae desumptam declarat. Huic deae, quae Phanagoriae templum exstructum ha-

---

1) Diod. II c. 46.

2) I. c. 105. IV c. 67.

3) Herod. IV c. 59.

4) cfr. Windischmann, die persische Anahita od. Anaïtis in Comment. Ac. Bavar. phil. philos. Cl. T. VIII p. 103.

5) Boeckh. Corp. inscrpt. T. II p. 157.

6) vid. Comment. Ac. Vindob. phil. hist. Cl. 1853. T. XI. 5 m. Octobr. p. 399.

7) Corp. inscrpt T. II nr. 2109. b.

8) Herod. I c. 131, cfr. Movers I p. 586.

9) Maxim. Tyr. VIII 8.

10) cfr. Preller, die Vorstellung der Alten von dem Ursprunge und den aeltesten Schicksalen des menschlichen Geschlechts. Ausgew. Aufs. p. 166.

11) Benfey. l. c. p. 47.

bebat,[1]) Amazones alia pleraque ad Pontum aedificaverunt.[2]) Quae res quum de eius cultu his locis notissimo testatur, tum causam, quae Amazones cum Scythis coniungit,[3]) nobis explicat. Ex iis, quae attulimus, apparet, Amazones, quae iisdem, quibus Astartes cultus commemoratur, locis nobis occurrunt, eius sacras ministras fuisse, earumque fortem ac bellicosam naturam aeque ac morem, ut consuetudine cum viris careant, ex modo, quo deam colebant, emanasse, manifestum est.

Notio huius deae, tanquam parentis omnium rerum (*ζῳογόνος θεά*), unde et eius nomen *Ἰφι-γένεια*, firma genita, vel *Ἐλουσία*[4]), אֵל עֱזָּה, dea firmitatis, et castissima semperque florens, quam ob rem a Scythis[5]) et Phoenicibus[6]) *παρθένος* atque in Zendavesta ardvî çûra Anâhita, aestuans, robusta, casta[7]) dicitur, effecit, ut ministris eius eadem natura tribueretur. Itaque ut numen virginale a virginibus intactis colebatur,[8]) quae cum castitate etiam robur coniungentes, saltatione, bellicosis magis simili exercitationibus, tympana pulsantes, eam honorabant.[9]) Natura eius deae, quae fortis ac bellicosa, hastam manu tenens,[10]) unde *Ἔγχειος* appellata,[11]) venatrix depingebatur,[12]) cultricibus quoque eius impressa est, quae ut satellites eam secutae,[13]) sub iisdem formis, atque illa dea,

---

[1]) Hecat. Miles. ap. Steph. Byz. s. v. Strab. XI 2, 10.

[2]) Diod. II c. 46. Apollon. Argon. II 385. 404. 1171. 1270. Arrian. Peripl. Pont. Eux. p. 9. (Huds.)

[3]) Diod. IV c. 28. Justin. II. 4.

[4]) Hesych. s. v.

[5]) Herod. IV c. 103.

[6]) Philo. Bybl. 568. Sanchon. p. 30. ed. — Gaisf.

[7]) Windischmann l. c. p. 103.

[8]) Diod. IV c. 16. Ovid. ex Pont. III 2, 55. Plin. XXXV 36, 17. Plut. vit. Artoxerx c. 27.

[9]) Hom. Od. VI 105. XXIII 147. VIII 251. hymn. in. Ven. 120. Verg. Aen. I 498 sq. Arist. Ran. 415. Callim h. in Dian.

[10]) Verg. Aen. I 15.

[11]) Hesych. s. v.

[12]) Hom. Il. V 51. XXI 485 sq.

[13]) Diod. IV 16.

in fabulis nobis occurrunt. Quum vero cultus Astartes, cuius sacerdotum numerus posteriore quoque aevo maximus erat,[1]) quae per oppida deam circumferentes mendicabant,[2]) per totam Asiam valde propagatus, locis ad Pontum sitis, clarus esset, facile factum est, ut Amazonum fabula ibi quoque sub forma ex genere cultus desumpta collocata sit. Haec loca iam antiquissimis temporibus a Phoenicibus Assyriisque maxime frequentata esse, quum ex Genesis tabula geographica, ad quam conficiendam notitia, quae harum regionum Phoenicibus fuit, maxime valuit, atque ex Ezechiele, qui Mesekh (*Μοσόχ* LXX) et Tubal (Tibarenos) novit,[3]) tum ex via, quae ab Euphrate ad Pontum ducta erat[4]), apparet. Neque minoris est momenti, quod ex his regionibus Serapis cultus in Aegyptum translatus est,[5]) unde et Colchorum mos circumcidendi exiisse dicitur,[6]) atque Maxyes, ad Tritonidem accolentes, a Troianis se ortos esse confitebantur,[7]) cum quo et fama de Jasone, qui aquilone abreptus in Libyam, in brevia Tritonidis paludis pervenit, optime cohaeret.[8])

Haec omnia de consuetudine, quae inter gentes ad Pontum et Phoenices et Assyrios aliasque, quae usque ex Africae coloniis negotiandi causa in haec loca navibus perveniebant, erat, gravissima testimonia nobis afferunt, in quibus quum commentarium optimum in narrationes de Amazonum migrationibus invenimus, tum etiam opinionem nostram de earum nominis origine, quasi a gentibus Amâzigh desumpti, confirmari intelligimus.

---

[1]) Strab. XII 2, 6.
[2]) Luc. Hetaer. §. 26.
[3]) XXXVIII 2, 3. XXXIX 1.
[4]) cfr. Kiepert, Ueber die persische Koenigsstrasse nach Vorderasien nach Herodot. Comment. Ac. Berol. 1857. 16 m. Febr. p. 131.
[5]) cfr. Movers II 2, p. 197 sq.
[6]) Herod. II c. 104.
[7]) Herod. IV c. 191.
[8]) Herod. IV c. 179.

Hoc Mazicorum nomen, quod apud varios scriptores varie legitur,[1] liberos, invictos significat, cuius propria forma Mâzigh vel Amazigh, fem. Amazigh-t, cum articulo t-Amazigh-t sive t-Amâzigh-t aeque ac vocabula „frank“ vel „slav“ medio aevo, de gentium Berberi-Libyarum terra et sermone usurpatum est.[2])

Atque quum apud eas gentes Amazones primum exstitisse dicerentur, a quibus, ut Herodoto iam persuasum erat,[3]) Astartes cultus ad alias nationes translatus est, fieri non potuit, quin nomen Amazigh, quod, ut umbra, huius numinis ministras sequebatur, earum appellationis fulcrum duceretur. Quum vero Graeci in hac appellatione, quam a Phoenicibus per Iones acceperunt, sonum a-maz, qui in omnibus his vocabulis, eiecta litera k, quae ad eiusdem originis gentium nomina formanda adhibetur, inest, audivissent, pro ingenuo, qui est in radice verbi *ἀ-μαζ-ος*, eum habentes significationem quoque proprii vocabuli Amazonum nomini iniunxerunt. Quae omnia quum accuratissime sibi respondeant, ut verisimilitudinis, immo veritatis vim habere videantur, in fabula, de Amazonibus prolata, vetustissimi reconditi sunt fontes, qui ad eas gentes, quas Amazonum fabula attingit, spectarent, quique etsi nihil aliud sunt, nisi scintilla e tenebris, quas vetustissimum tempus earum rebus gestis obduxerat, emicans, tamen in dispiciendis earum moribus atque consuetudine, quae iis cum aliis populis erat, nobis praelucent.

Itaque quae de Sauromatarum gente, quae cum Amazonibus, tanquam parentibus suis, coniuncta est, ab Herodoto et plurimis aliis narrantur, ad eandem spectant rationem, qua fabula illa Amazones ad varios populos, inter quos morum et deorum cultus similitudo quaedam aut mercaturae con-

---

[1]) *Μάζικες*, *Μάσικες* Ptol. IV·1, p. 251; *Μάζυες* Hecat. ap. Steph. Byz. s. v; *Μάξυες* Herod. IV 191; Maxitani Justin. XVIII 6, 1; Mazax Lucan. Phars. IV 681. cfr. Movers II 2, p. 394 not. 116.

[2]) cfr. Graberg de Hemsö, das Sultanat Moghrib-ul Aksa od. das Kaiserreich Marocco. Uebers. v. Alfr. Reumont p. 47.

[3]) IV c. 189. 180.

suetudo erat, retulit. Quod enim ab Herodoto,[1]) quem posteriores vario modo secuti sunt, de Amazonibus traditur, quamquam Graecum iam duxit colorem, attamen veram huius fabulae indolem profert. Nam quod Herodotus nobis narrat, Amazones a Thermodonte fluvio Cremnos delatas esse, atque a Scythis *Οἰόρπατα*, viricidarum, quam significationem Herodotus ipse vocabulo *ἀνδροκτόνοι* (*οἰόρ* = *ἀνήρ*, *πατά* = *κτείνειν*) declarat, nomen accepisse, hoc omne in opinionem illam, qua Scythae deam suam virginem (*παρθένος*)[2]) nihilominus viricidam (*ἀνδροφόνος*) esse putabant,[3]) aeque ac Scholia ad Pindarum[4]) Amazonem Melanippen *ἀνδρολέτειρα* vocant, tantopere convenit, ut nominationem hanc Amazonum ex notione, quam Scythae deae illius habuerint, desumptam esse nemo negaturus sit. Vocabulo autem *οἰόρπατα*, quod secundum Herodoti notationem ex *οἰὸρ* et *πατὰ* compositum est, eaedem radices insunt, quae sunt in „vir" et *φασσα*, *φαττα*, in *Περσε-φασσα* vel *Περσε-φαττα*, quorum *Περσε-φονη* altera tantum est tralatio. His vero non dissimilis est forma nominis *Ἀρτίμπασα* [5]), apud Hesychium *Ἀρτημήσασα* pro *Ἀρτημή-πασα*, quod Scythae Artemidi sine dubio e more, quo advenas ei immolare dicebantur,[6]) indiderunt. Atque nomen Cremni, quod erat loco, ad quem Amazones appulsae sunt, nihil aliud est, nisi e cultu huius deae desumpta loci cuiuslibet appelatio. Quum enim Herodotus[7]) de Iphigenia Scythica, quae nulla alia est atque Artemis, locutus, templum eius in saxo (*ἐπὶ κρημνοῦ*), ubi sacra ei cruenta faciebant, positum esse dicat,[8]) in Amazonum historia, quoniam hanc fabulam iam certo loco affigi oportebat, vocabulum *κρημνοι* non saxi, sed urbis certae, quo narrationi eius maiorem fidem adderet, notionem accepit,

[1]) IV c. 110—118.
[2]) Herod. IV c. 103.
[3]) Theophil. ad Antol. I 9.
[4]) Pind. Nem. III 64.
[5]) Herod. IV 59.
[6]) Herod. IV 103. Ov. ex Pont. III 2, 58.
[7]) IV c. 103.
[8]) IV c. 110.

Si vero urbem Cremnos revera, ut quidem ex Herodoto ipso sequitur,[1]) exstitisse statuimus, quae cum Stiehlio[2]) minime, ut ex Plinio elucet,[3]) cum Cremniscis urbe confundenda est, nomen *Κρημνοί* vocabulo *Κρῶμνα*, quod est loci, in Paphlagonia siti, nomen, e quo Cromenos, Phinei filius, appellatus est,[4]) simillimum est. Phineus, ille Phoenicum caecus vates, iam in Argonautarum fabula Graecis notus[5]) fabulisque Cadmi permixtus,[6]) de Phoenicum in Paphlagonia vestigiis testimonium profert, aeque atque Dia vel Eurythia vel Orithya, uxor eius Scythica, Amazonum reginae, quae Orithya vel Otrere vocabatur,[7]) admonet. Haec fabula, quae Ponti in Asia accolas cum Scytharum feminis conubia ineuntes facit, de consuetudine, quae his gentibus erat, atque de modo, quo Amazones ad Scythas pervenerint, optime testatur. Aeque quod de Sauromatarum origine atque affinitate cum Amazonibus haec fabula docet, non mera aut ficta notitia est, sed in eadem causa, atque ob quam aliae gentes cum iis coniunctae sunt, nititur. Atque quum huius fabulae natura Sauromatarum indoli moribusque accommodatissima eorum tanquam speculum sit, originem eius ex certa notitia haustam esse apparet, quam Graecorum mercatores sive a Scythis sive a Sauromatis ipsis acceperunt. Quam ob rem si fabulam hanc sequimur, Sauromatarum originem a gentibus, quae ad Pontum in Asia accolebant, deduci oportet, quibuscum sive ob similitudinem morum rationisque vivendi, sive propter cultum eiusdem numinis, affinitatis vinculo quodam coniuncti erant. Nam quod haec fabula Amazones cum Scythis quoque consociat, ex quorum coniunctione Sauromatae exstiterant, Graecorum rationi hoc tribuendum est, qui quum propter mores,

1) IV c. 20.
2) Philolog. T. XI p. 215.
3) IV 12, 82.
4) Schol. Apollon. II 140.
5) Orphei Argon. v. 669.
6) vid. Movers II 2, p. 297.
7) Apollon. II 387. Justin. II 4. P. Oros. I 15.

qui omnino apud barbaras gentes non ita dissimiles ducebantur, tum ob sermonem, quem Herodotus aequo iure, quum eius radis esset, pro Scythica [1]) ac Scholia ad Apollonium [2]) pro Thracia dialecto duxerunt, naturae legem praecipue secuti, consanguinitatem inter eos esse statuerunt. Quod si pro certo accipimus, multa, quae de Sauromatis narrantur, tanquam ex Amazonum fabula in eos translata apparebunt, quae et nos inter mythos relata potius veterum scriptorum studio, ut fabulis certam formam imprimerent atque rerum vere gestarum notionem induerent, adnumerare par est. Quam ob rem quae de Sauromatarum mulierum natura virili [3]) ac more, qui eas, priusquam hostem occidissent, nubere vetaret, [4]) narrantur, mere ficta arbitranda sunt, ne omnino quidquam de fabulae illius fide, quae earum vitae rationi certam atque Amazonum naturae simillimam formam imposuerat, detraheretur.

Aeque ut originem Sauromatarum in fabula, quam Herodotus de Amazonibus tradidit, designatam esse apparet, ita sedes quoque eorum descriptas esse videbimus. Quum enim Amazonum fabula ab initio, quod ad omnes observari potest, nulli certo loco insedisset, sed per varias regiones deam secuta ei adhaereret populo, qui, illo numine adoptato, eius quoque cultum fovebat, posteriore tempore, quum orbis terrarum notitia latior externarumque gentium fama certior facta esset, minus iam ambigua, in sedibus certioribus, una cum gente, quacum consociata erat, invenitur. Herodoti igitur aetate Sauromatae orientem versus ad Tanaidis ripam et Maeotidem paludem habitabant, quo aeque atque Amazones vel per mare [5]), vel per terram [6]) progressi sunt. Quod vero

---

[1]) IV c. 117.

[2]) Apollon. II 946.

[3]) Herod. IV c. 116 coll. c. 112. 114.

[4]) Herod. IV 117. Pompon. Mela III 4. Nicol. Damasc. p. 148. (Orelli.)

[5]) Herod. IV c. 110.

[6]) Diod. II 45.

in fabula de eorum sedibus, quae a Tanaide fluvio in orientem spatium trium dierum totidemque ab Maeotide septentrionem versus, aeque ac Massagetarum ab Araxe fluvio,[1]) distabant, distincte dictum est, non tam accurate accipiendum est; nam proprium est illud fabularum, certos semper numeros afferre, qui vero numerus „tres“ in Amazonum fabula singularem quandam et religiosam significationem prodit.[2]) Ceterum etiam Herodotus ipse Sauromatarum sedes accuratius describit:[3]) in altera i. e. orientali Tanaidis fluvii ripa (*Τάναιν διαβάντι*) primam portionem terrae Sauromatas tenere,[4]) quae a recessu Maeotidis paludis ad septentrionem porrecta, quindecim dierum spatium complecteretur, tradit. Quum vero Graeci, domo navigantes, ad septentrionem magis, quam orientem tenerent, cursum hunc plagae septentrionalis normam esse duxerunt, qui Herodoto eo verisimilior videbatur, quod mercatores Olbia per loca mediterranea ad solis ortum profi-

---

[1]) Herod. I 206.

[2]) Secundum Diodorum (III 54) Amazonum exercitus pedester trium millium fuit, qui in tres partes divisus erat, ut ex tribus ducibus concludi potest, (id. c. 55,) et secundum Justinum (II 4) (P. Oros. I 15. Aethic. p. 51) duae partes, tertia domi relicta, bella gerebant; in pugna cum Gorgonibus caesae in tribus rogis concrematae sunt. (Diod ibd. c. 55,) aeque ut in tribus per regionem discretae vicatim habitabant; (Apollon. II 997.) Tres sorores reginae erant: Antiope, Menalippe, Hippolyte, (Justin. l. c. cfr. Welcker ep. Cycl. I p. 320 not. II p. 202 not. 43.)

Nonum 3×3 laborem Hercules contra Hippolyten (Apollod. Bibl. II 5, 9) in ter ternisn avibus (Justin. II 4) suscepit, contra quem ter quaternae mulieres heroes pugnabant. (Diod. IV 16); item tres fratres in expeditione contra Amazones comitati sunt, (Plut. vit. Thes. c. 26,) quae captae ab Atheniensibus in tribus navibus vehebantur (Herod. IV 110), atque tres hostes Sauromatarum mulierum unamquamque occidere oportebat, priusquam uxor facta est. Hippocrat. de aëre §. 24. (Ermerins), quod Coraës in annott. ut Hippocratem cum Herodoto, qui IV c. 117 de uno tantum hoste loquitur, concordantem faceret, in *μέχρις ἂν ἄνδρα* mutari vult, qua tamen mutatione non opus esse, usus hic tanquam religiosus ostendit.

[3]) IV c. 21.

[4]) *ἡ πρώτη τῶν λαξίων Σαυροματέων ἐστί*; gloss. Herod. vocabulum *λάξις* per *μερισμόν, κλῆρον* declarat. cfr. Hesych. et Suid. s. v.

ciscentes, iter suum magis ad septentrionem vergere putabant. Hanc rem revera ita se habuisse, iam ex Herodoti ipsius populorum descriptione apparet, quibus, ab Olbia pergens, in duabus parallelis lineis, altera septentrionali, altera meridionali, certo quodam et symmetrico ordine occidentem et orientem versus collocatis, tabulam geographicam, quam confecit, tamen ad septentrionem porrexit, et Ptolemaei orbis terrarum imago nobis hoc persuadet. Sedes singularum gentium in orientem magis, neque, ut Herodotus fecit, ad septentrionem spectare, hoc iam persuadet, quod Sauromatae quamquam a sinu maxime septentrionali Maeotidis paludis iter XV dierum ad septentrionem aberant,[1]) tamen a Scythis regiis, qui ab oriente ex altera parte usque ad fossam, quae a montibus Tauricis ad Maeotidem, ut ex libro IV c. 28 apparet, ducta erat, ubi et Cremni urbs quaerenda est, et ex altera parte ad septentrionalem huius paludis oram, ubi Tanais in eam influit, itaque ad totius Maeotidis paludis oram pertinebant,[2]) hac palude terminari dicebantur,[3]) quod nullo modo, si revera Sauromatarum sedes ab Maeotide XV dies in boreales regiones porrectae essent, dici potuisset.

Atque ex Darii expeditione contra Scythas eiusque cursu, quo hostes persecutus erat, Sauromatarum sedes vere ad Maeotidis oram meridiem versus sitas fuisse, dilucidari potest. Quas in regiones Darius cursum direxerit, et quousque pervenerit, quum e consilio belli gerendi, quod Scythae inierant atque ex singulis eius partibus, quae inter singulas gentes auxiliarias distributae erant, tum e regionibus, quibus unicuique rem gerere obtigerat, sequitur. Scytharum exercitus e Gelonis, Budinis Sauromatisque, qui omnes auxilium iis non denegarunt, compositus in tres partes divisus erat,[4]) quarum unaquaeque sub proprio duce, in sua terra rem gerere debebat. Primam exercitus partem sub duce Scopasi Sauromatae conficiebant, qui

[1]) IV c. 21.
[2]) IV c. 20 coll. c. 101.
[3]) IV c. 57.
[4]) Herod. IV c. 120.

per Tanain fluvium iuxta Maeotidem, itaque meridiem versus, se recipere iussi erant,[1]) altera eaque maxima numero ex Scythis sub duce Idanthyrso, qui, teste Herodoto ipso,[2]) eorum rex fuit, constabat, tertium vero agmen Gelonorum et Budinorum, sub rege Taxaci, fuit. Quum vero Scythae gentes, quae ipsis auxilium abnegaverant, bello contra Persas implicare studuissent,[3]) pars altera eorum ad septentrionem progressa est, dum Sauromatae ad orientem se recipiebant, ut postea Persas, si ab insectatione recessissent, reversi urgerent atque cum reliquis partibus coniuncti in Scythia contra eos pugnarent. Praecursorum, quos Scythae emiserunt, quique orientem versus ad Sauromatarum agmen, quod iuxta Maeotidem meridiem versus se recipiebat, tendebant, vestigiis Persae instantes, Tanaide fluvio traiecto, per Sauromatarum terram in Budinorum fines pervenerunt.[4]) Sauromatae ex inito consilio Maeotidi paludi adhaerentes ad oram eius. volitabant, quos Persae persecuti ad Oarum (Kuban) fluvium processerunt, unde quum hostium agmen itinere flexo a latere Persas, quod et ipsis praecurrerat, ambitu facto, circumiisset[5]), ad septentrionem conversi, in Scythiam tendebant Quum iam Darius, ad occidentem itinere directo, in Scythia esset, duabus hostium occurrit partibus, quarum altera eadem erat, quae ad septentrionem profecta, post tergum Darii, quum in orientem secutus esset, remanserat, altera Budinorum et Gelonorum sub duce Taxaci, qui in unum cum agmine, cui Idanthyrsus praeerat, convenerant[6]), dum Sauromatae, porro fugientes, ex oculis Darii abierunt. Tum Scythae,

---

[1]) *Τούτους ... ὑπάγειν .... ἰθὺ Τανάιδος ποταμοῦ παρὰ τὴν Μαιῶτιν λίμνην ὑποφεύγοντας.*

[2]) IV c. 76. cfr. Pherecyd. Ler. ap. Clem. Alexandr. Stromm. V p. 567. C. D. (Sturz frgm. Pherecyd. p. 63.) Justin. II 5, 8.

[3]) Herod. IV c. 125.

[4]) IV c. 123.

[5]) IV c. 124: *περιελθόντες τὰ κατύπερθε ὑπέστρεφον εἰς τὴν Σκυθικήν.*

[6]) IV c. 120.

ut sibi animo proposuerant, per fines Melanchlaenorum, Androphagorum, Neurorum fugiebant, dum ad Agathyrsos processerunt[1]; Scopasis autem, qui Darium in occidentales regiones retro effugerat, ad Istrum fluvium missus, Ionibus persuadet, ut pontem, ad quem custodiendum Darius eos constituerat, rescinderent,[2]) unde, promisso accepto, ad suos revertit, quibuscum una contra exercitum a Dario desertum pugnavit.[3]) Ex his elucet, Darium minime tam longe per septentrionales regiones orientem versus perrexisse, ut vulgo a plerisque accipi solet, sed, Tanaide traiecto, ad paludis oram prosecutum esse, quum et fugientes hostes eandem sectarentur. Agmen vero, quod Darius persecutus est, Sauromatarum fuisse, ex locis variis, quibus eos invenimus, apparet. Quum enim, ut iis propositum erat, ad Maeotidem paludem primum circumvagarentur,[4]) quo Darius quoque pervenit, paulo post in occidentalibus regionibus inveniuntur,[5]) quas fuga petiverant; tum etiam hanc ob rem nobis accipiendum est, eos Sauromatas, neque duo alia Scytharum agmina fuisse, quod Darius unam eandemque partem usque per Tanaim et retro occidentem versus persecutus, in Scythia demum his duabus obvenit. Itaque quum pars ea, quae Sauromatarum erat, iuxta Maeotidem paludem, ergo in finibus suis, rem gereret, usque eo tantum, neque longius Darius procedere necesse esse credidit. Qui quum maximis itineribus contenderet,[6]) atque in occidentem retroversus, ex Neurorum terra ad Istrum recessisset, ad quem ubi pervenit, LX illi dies, quos expeditioni suae proposuerat,[7]) iam praeterlapsi erant,[8]) expeditio illa Darii minime tam mira aut impossibilis ducenda est, ut plerisque visum est, qui quum Sauromatas ad Rham fluvium et Budinorum

---

[1]) IV c. 125.

[2]) IV c. 128. 133.

[3]) IV c. 136.

[4]) IV c. 120.

[5]) IV c. 128. 133.

[6]) IV c. 125: *ἐλαύνων τὴν ταχίστην τὸν στρατόν.*

[7]) IV c. 98.

[8]) IV c. 136: *αἵτε ἡμέραι ὑμῖν τοῦ ἀριθμοῦ διοίχηνται.*

sedes sub Uralis montis radicibus collocaturi essent, Herodotum varie relata turbasse coarguunt. Neque intelligi aut omnino rerum naturae convenire potest, Budinos, ob periculum timoremque Persarum, his remotissimis locis Scytharum auxiliarios factos esse, quum Melanchlaeni, Neuri Agathyrsique, quamquam propiores, auxilium abnegassent. Si vero Sauromatas in ora ad Maeotidem paludem habitasse eoque Darium processisse pro certo accipimus, qui quum ad Danubium revertisset, tempus expeditioni definitum iam praeterierat, ut igitur expeditio haec non intra LX tantum dierum spatium, sed multo maius, finita sit, Herodoti narrationi, ut summatim traditae, fidem tribuere nos oportet.

Atque quod Herodotus Maeotidem paludem Scythas regios a Sauromatis dividere statuit,[1] hoc in formam quadratam, quam Scythiae tribuerat,[2] optime convenit. Manifestum enim est, Herodotum in describendis determinandisque sedibus singularum gentium, de quibus ab mercatoribus relata acceperat, certum quendam et dispositum ordinem secutum esse, in quem iis tanquam ad amussim redactis, tabulam geographicam, quam ipse perspicuam atque simplicissimum in modum, ut eius aevo convenit, composuerat, nobis evolvit. Scythiae formam quadratam esse Herodotus dicit,[3] cuius utpote aequalis unumquodque latus quattuor millia stadiorum patebat; illud quadratum, Borysthene fluvio pro linea media accepto, in duas iterum divisit partes sive parallelogramma, quae in longitudinem mille stadia, in latitudinem vero duo millia porrecta erant; parallelogrammis vero tripartitis, totam Scythiae terram in sex partes dissecuit, quarum unamquamque una gens Scythica, in summa tres a Borysthene occidentem versus, itemque tres ad orientem incolebant. Simili modo aliorum populorum, qui trans Tanain orientem versus habitabant, distributionem fecit, qua in sex dispertiti portiones singulis ordinibus, quousque certa eorum

[1]) IV c. 57.
[2]) IV c. 101.
[3]) Herod. u. s.

pervenit fama, sequuntur. Hoc non casu factum, sed in certo atque excogitato consilio positum esse, iam e ratione, qua Herodotus partes illas inter singulas distribuerat gentes, elucet; tum et ipsa Herodoti verba hoc comprobant. Quum enim Herodotus [1]) ad alias gentes, quae trans Tanain incolebant, e Scythia transit, primam portionem Sauromatas, alteram vero Budinos obtinere dicit[2]); itaque vocabula *r μὲν πρώτη* et *δευτέρη λάξις* cum quadam vi atque alterne dicta, novam seriem similium portionum, quae Scytharum fuerint, aperiri declarant. Haec duo quadrata (quod vero Herodotus alterum quadratum non dicit, non spectat ad rem) non solum numero minorum portionum, sed etiam situ sibi respondent, quorum alterum post Tanain ad orientem vergens et Maeotidem, hac palude tantum, quae septentrionem versus nimis patere credebatur,[3]) a priore secernitur. Atque quod Herodotus de Amazonibus affert,[4]) quae iter trium dierum septentrionem versus ab Maeotide totidemque a Tanaide abesse dicebantur, missis iam factis plerisque, quae ad alias terras pertinent, multum quoque ad comprobandam opinionem valet, Herodotum in libro suo, quatenus ad geographiam spectat, id nimis respexisse, ut sibi singulae singulorum locorum partes responderent.

Notitia, quam nobis Herodotus de Sauromatis eorumque sedibus retulit, ex mercatorum relatis fluxit, ideoque, quamquam rerum vere gestarum speciem prae se fert, non caret ex altera parte fabulosis commentis, qualia de remotioribus praecipue populis mercatores fingere solebant. Atque ob hanc causam, quae de his populis a scriptoribus Graecis tradita sunt, omnia fere eandem naturam praebent, quae quum singularum moribus rationique vivendi accomodata sit, eorum vitae tanquam peculiare additamentum ducere nos oportet. Huc accedit, quod Graeci indigenarum saepissime secuti narrati-

---

[1]) IV c. 21.

[2]) *ἡ μὲν πρώτη τῶν λαξίων Σαυροματέων ἐστί... δευτέρην λάξιν κτλ.*

[3]) IV c. 101.

[4]) IV c. 116.

ones, eas non intellectas ad suam opinionem transformare studuerunt, quo officio varii vario modo, ut pro re eiusque necessitudine aptum putaverunt, functi sunt. Inde fere unusquisque populus externus proprium atque singulare appositum cognomen habet, quod quum primum vel ex genere vivendi, vel e specie habituque et aliis, quae similia sunt, desumptum esset, Graeci tanquam signo ad denotandas varias gentes eo usi sunt, posteriore vero aevo, quum iam notionis primitivae vis exstincta esset, nominis loco usurpatum est. Haec res singulorum nominum varias formas atque mutationes nobis declarat, unde et illa ambiguitas apud scriptores in distribuendis singulis locis inter singulas nationes exorta est. Itaque quum Herodoti de Sauromatis relata certiorem iam notitiam prodant, fons, e quo illa emanavit, posterioris est aevi, atque ea, quae in Amazonum fabulis, nudatis tantum figmentorum integumentis, quasi nucleum rerum vere gestarum invenimus, mirum in modum comprobat.

Neque aliena sunt ab iis, quae Herodotus nobis de Sauromatis tradidit, carmina, quae variis temporibus ex diversis partibus contexta, Argonautarum expeditionem canunt atque praeter fabulosa pleraque, quae ad veritatem propius accedunt, proferunt. Quum enim multa, quae Graeci antiquissimis iam temporibus de locis populisque, quos in expeditionibus mercaturae faciendae causa susceptis, visitabant, fabulati sunt, in ore varie mutata et aucta ad posteriora tempora perlata essent, a poeta quodam vel poetis varii ingenii et indolis in unum conglutinata sunt librum, qui diversorum membrorum, e quibus coaluit, itidem diversa et perspicua vestigia prodit. In numero eorum, quae certiorem rerum notitiam exhibent, quarum natura, quum ex aequalium vel non multo veteriorum memoria effluxisset, tutiorem originem profitetur, ea quoque, quae de Sauromatarum sedibus commemorantur, ponenda sunt. Quamquam vero Sauromatarum sedes in hoc carmine certis limitibus carent, attamen quod in serie populorum, qui in iis collocantur locis, de quibus agi-

mus, certus quidam ordo observatur, certius aliquid de Sauromatis eorumque vicinis ex hoc fonte concludi potest.

Quum Argonautae directo cursu ad Phasin fluvium Asiae oram, quam variae gentes eadem, ut a posterioribus commemorantur, vice incolebant, secuti navigassent, errore multum retro ad septentrionem ablati, in Bosporum, videlicet Cimmerium pervenerunt, unde, itinere unius diei confecto, ad Maeotas et Gelonorum gentem et comatorum numerosas nationes et Sauromatas Getasque appulsi sunt.[1] Si vero secundum Herodotum[2] unius diei navigationis spatium circiter trecentorum triginta stadium, minus accurata numeri huius ratione habita, accipimus, Maeotae in orientali Maeotidis parte, quae maxime ad meridiem sita esset, habitasse putandi sunt, quod in Scylacem Caryandensem[3] quadrat, qui a septentrione meridiem versus pergens, Maeotas post Sauromatas et ante Sindorum gentem commemorat, aeque ac Scymnus Chius[4] eos his locis novit, in quibus et Hellanicus eos collocat.[5] Horum scriptorum argumentis, quibus Maeotae in orientali Maeotidis ora, quae maxime meridionalis est, collocantur, Herodoti verba[6] minime repugnant, quod Maeotarum nomen latiore significatione in omnes gentes, quae ad Maeotidem accolebant, translatum est, ut iam ex eo apparet, quod fluvii Lycus, Oarus, Tanais, Syrgis, quamquam in variis regionibus, tamen per Maeotarum terram, eodem auctore, in paludem hanc influunt, atque in Scymni Chii[7] rationem, qua gentes, quae ad occidentalem oram eiusdem paludis habitabant, vocabulo *Λιμναίων ἔθνος* significatae sunt, convenit.

---

1) Orphei Argon. v. 1057 sq.

2) IV c. 86.

3) Peripl. §. 71. (Mueller.)

4) Peripl. v. 878. (Mueller.)

5) Hellanic ap. Schol. ad Apollon. IV 322: *Βόσπορον δὲ πλεύσαντι* (cod. Par. *διαπλεύσαντι*) *Σίνδοι· ἄνω δὲ τούτων Μαλιῶται Σκύθαι*, pro quo *Μαιῶται*, ut in cod. Par. scriptum est, legi necesse est.

6) IV c. 123.

7) Peripl. v. 850.

Gelonorum gentem, quae in Orphei Argonauticis [1]) Maeotas sequitur, magis ad septentrionem ultra Maeotas, sive ad Maeotidis oram, sive non procul ab ea, quum fama de iis ad Argonautas pervenisset, sedes obtinuisse necesse est. Gelonorum urbem Herodotus [2]) in Budinorum, quos non recte, ut ipse addit, Graeci Gelonorum nomine appellabant, finibus commemorat. Quum vero ex Herodoti opinione [3]) Budini ultra Sauromatas, qui, ut supra vidimus, in orientali Maeotidis ora habitabant, sedes possiderent (ὑπεροικέουσι), fines eorum ab mari iter quindecim dierum abessent, quibus locis et Gelonos, qui promiscue Budinorum nomine appellabantur, habitasse oporteret. Attamen iam haec res Herodoti sententiae repugnare videtur, quod, ipso auctore, Geloni maximam urbem incoluisse dicebantur, qui quum originis Graecae fuissent, deos Graecorum et templa Graecum in modum exstructa et aras et statuas et festos sollemnesque dies Dionysi habebant et sermone Graeco aeque ac Scythico utebantur: quae omnia inter medias barbarorum Budinorum gentes tam mira atque incredibilia sunt, ut negari non possit, Herodotum varias narrationes conturbasse. Nam quod Geloni-Graeci e Graecorum coloniis expulsi, a Budinis, ad quos, quamvis tam longe ab mari abessent, profecti, hospitaliter ab iis excepti sunt, et quamquam locupletissimi, sine ullo periculo barbararum gentium, quieti prosperrime res gerebant, tam incongrua sunt atque a vero abhorrent, ut, quum hoc quoque accedat, quod Gelonorum urbs maxima esse dicebatur, quamquam, ut recte iam Hommaire de Helle [4]) animadvertit, coloniae Graecae, in haec deductae loca, stationes tantum mercatus habendi causa positae erant, omnia haec ab Herodoto allata ab eo non intellecta atque turbata esse statuere possimus. Cuius conturbationis, quae ex variis fontibus secuta est, vestigia Herodotus ipse prodit, qui quum inter gentes, quae trans Tanain

[1]) Argon. v. 1059.
[2]) IV c. 108.
[3]) IV c. 21.
[4]) Les steppes de la mer Caspienne etc. T. III, p. 129.

habitabant, Budinos tantum commemorat,[1]) in capite vero centesimo secundo Gelonorum nomen iuxta Budinos quasi ab his alienum appellat, quos Graeci, quamquam non recte, ut addit Herodotus,[2]) quum et mores ratioque vivendi et cultus deorum iis dispares essent, eodem nomine, quod et Herodoto ipsi[3]) contingit, appellabant. Quae res minime offendit, si sedes Budinorum, in quorum terra Gelonorum urbs erat, ad Maeotidem paludem, vel non procul ab ea, fuisse statuimus, quas Herodotus in tabula geographica tam longe ad septentrionem, vel rectius orientem versus transtulit. Haec ita se habere, iam ex hoc apparere videtur, quod Darius, quum per Sauromatarum fines ad Maeotidis paludis oram meridiem versus pergens, ad Budinos pervenisset,[4]) qui cum Gelonis Sauromatisque Persarum finibus proximi, belli contra eos participes fuerunt, eorum urbem, quam Herodotus[5]) Gelonorum fuisse tradit, diruit, tum etiam aliorum scriptorum de hac gente testimonia opinionem nostram confirmant. Secundum Arrianum[6]) Dioscuriade naviganti prima sese offert statio in Pityunte, et postea, CL stadia a Pityunte distans, Nitica, ubi olim gens Scythica habitabat, quam Herodotus[7]) pediculis vesci solitam tradit. Manifestum est, Arrianum, quum gentem illam his locis habitasse commemoret, Herodoti verba, quae simili modo de Budinis tractant, in mente habuisse, atque Budinorum sedes in his ab Herodoto collocatas fuisse regionibus, ei persuasum fuisse. Cum hoc convenit, quod Scylax Caryand.[8]) Gelonos post Melanchlaenos et ante Colchos, in quorum terra Dioscurias urbs sita erat, commemorat, item ac Pomponius Mela[9])

---

[1]) IV c. 21.
[2]) IV c. 108. 109.
[3]) IV c. 123.
[4]) Herod. IV 123.
[5]) IV c. 108.
[6]) Peripl. §. 27.
[7]) IV c. 109: φθειροτραγέουσι μοῦνοι τῶν ταύτῃ.
[8]) Peripl. §. 80.
[9]) Pompon. Mela I 19.

cum Plinio,[1]) qui Phthirophagorum vicinos Suanos esse dicit, et cum Strabone[2]), secundum quem Phthirophagi, Colchorum affines, et Soani cum plerisque aliis gentibus Dioscuriadem frequentabant, in iisdem regionibus eos habitasse profert. Neque alienum est ab iis, quae modo attulimus, Scymni Chii[3]) testimonium, quo iuxta Sauromatas Gelonorum gens in occidentali quidem Maeotidis ora commemoratur, quod, ut infra videbimus, non recte a Scymno intellectum pro orientali parte accipiendum est, atque Eustathius[4]) Phthirophagos cum Thoanis (*Θοᾶνες*), quae nulla alia gens est, ac Soani, permutatis tantum literis *Θ* et *Σ*, in Colchorum confinio habitasse docet. Quae omnia abunde ostendunt, Gelonorum nomen, quod apud Herodotum commemoratur, idem esse atque in Argonauticis dictum, urbemque eorum ad mare, in Budinorum finibus, sitam, Argonautis notam fuisse, quod cum ratione, qua gentes ad mare tantum accolentes antiquissimis temporibus Graecis notae fuerint, convenit, atque Gelonorum originem ex Asia, ubi quum ab initio ad Cyri fluvii ostium habitassent, unde regionis huius nomen Ghilan[5]), posteriore aevo septentrionem versus ad Maeotidis oram processerint, derivandam esse declarat.

Quae quum ita sint, affinitas, quae inter Herodotum et Argonauticorum poetam in enumerandis gentibus finitimis, quae haec incolebant loca, intercedit, in alia quoque quae notantur populorum nomina extendi potest. Gens, quae ex ordine in Argonauticis servato, sub nomine *βαθυχαίτων ἄπλετα φῦλα* sequitur, peculiare quoddam nomen accepit, quod vel Graece tralatum ingenuum eius gentis nomen est, vel ex capillis, singularem in modum comptis, quasi appellatio eius depromptum est. Quod vero capillorum comptorum forma genti huic appellationi esse potuit, non debet offendere, nam

[1]) VI 4, 14.
[2]) XI 2, 14 et 19.
[3]) Orb. descript. v. 863 (Mueller.)
[4]) ad Dion. v. 689.
[5]) cfr. St. Martin, Etudes de géographie ancienne I, p. 238.

haec cognominandi ratio propria est populi ingenio, qui externarum gentium notitiae cunabulis modo relictis, omnia, quaecunque ab ipsius genere vitae et habitu aliena erant, memoria facillime complectebatur. Huius intellectus, qui puerili aevo optime convenit, vestigia pleraque Herodotus nobis prodidit, ut,[1]) quum de Aegyptiorum vita moribusque loquitur, eorum capillorum speciei aeque atque Argivorum Lacedaemoniorumque[2]) non obliviscitur; item quo modo Mazae, ad Syrtis oram[3]), et Maxyes[4]) et Arabes[5]) comas tonderent, gravioris esse momenti duxit, quam ut omitti posset. Itaque gentis in Argonauticis appellatio, tanquam promissos capillos haberet, nihil novi est, atque eius natura notitiae, quae videlicet ex ipsa huius gentis cognitione effluxerat, vetustatem prodit. Qui vero ille populus fuerit, aut quod eius nomen proprium, si quidem iam in vocabulo *βαθυχαίτων* non est illud reconditum, non facile est dictu.

At quod gens Budinorum proxime Gelonos in Sauromatarum confinio a scriptoribus, quos supra citavimus, constanter commemoratur, non tam exquisita aut temeraria opinio esset, si appellatione, quae est *βαθυχαίτων*, vere Budinos comprehensos esse putaremus, quae nomina Budinorum et *Βαθυχαίτων* fortasse ex eodem vocabulo, vario tantum modo pronuntiato, ad quod et nomen *Ματυκέται* gentis cuiusdam Scythicae (?), quam Hecataeus novit,[6]) spectat, orta sunt. Haec nostra coniectura, quam modo attulimus, eo quoque nititur, quod in Argonauticis post Comatorum gentem Sauromatae sequuntur, quorum sedes in eadem cadunt loca, quae iis ex Herodoti interpretatione tribuimus. Itaque in distribuendis singulis inter singulas gentes sedibus, quas ad Maeo-

---

[1]) II c. 36. III c. 12.
[2]) I c. 82. VII c. 208. 209.
[3]) IV c. 175.
[4]) IV c. 191.
[5]) III c. 8.
[6]) Hecat. ap. Steph. Byz. s. v.

tidem paludem tenebant, nullum intercedit inter Herodotum et Argonauticorum poetam discrimen, quoniam uterque eadem, diverso tantum ordine, commemorat nomina. Quum enim Herodotus a Sauromatis incipiens gentibus, quae ad Maeotidis oram deinceps habitabant, eodem quidem ordine, qui ab Argonauticorum poeta e contrario tantum servatus est, in tabula sedes ad orientem magis porrectas tribuisset, in Argonauticis contra nomina earum, ut quaeque habitabat et a nautis cognita erat, nobis occurrunt. Neque dubitari potest, quin haec utriusque testimonia, quae optime inter se concordant, communem habeant fontem, qui ex mercatorum narrationibus, vel ex aliorum scriptis initio sumpto, mirum in modum, quum revera eodem ordine hae gentes ad oram maritimam habitarent, apud utrumque in rerum naturam quadrat.

Quae mox sequuntur gentes in Argonauticis, mediterranea iam loca incolebant, quarum nomina partim corrupta ac depravata, partim secus tralata, vel ex quadam ratione vivendi desumpta ad ortum, in eodem ordine atque apud Herodotum, spectare videntur, et quarum ultimi ab utroque Arimaspi vocantur.[1]) Quum ita alter alterum commentetur, quorum uterque horum locorum notitiam ex aliis sumpsit fontibus, sive ii scripti erant, sive in ore habebantur, nam quod Herodotum eas visitasse regiones nonnulli putant, ex Herodoti verbis[2]) contendi non potest, testimonium, quod Argonauticorum poeta de Sauromatis affert, summi momenti est. Atque quum Argonauticorum testimonium ad antiquiora, quam quod ab Herodoto allatum est, spectet tempora, ut iam eius natura, quae tanquam tincta est vetustissimi aevi colore, hoc nobis persuadet, hanc ob causam idem notari oportuit, ex quo, qualis his locis antiquissimis temporibus commeatus et qualis consuetudo inter singulas nationes fuerint, docemur, atque Herodoti de Sauromatarum sedibus relata ad idem tanquam ad amussim redigere possumus. Neque enim, ut a plerisque factum est, Argonautarum carminis fidei, quantum quidem ad

[1]) Herod. IV c. 27. 13.
[2]) IV c. 124.

nostras res pertinet, obtrectare volumus; immo vero, quae nobis de populis, qui haec loca incolebant, in Argonauticis traduntur, iis ad refellendam Herodoti opinionem, quam recentiores multo magis turbarunt, usi sumus, quae etiam alii plerique posteriorum scriptorum comprobant.

Itaque Hippocratis testimonii, quod nobis in libro, quem de aëre, aquis et locis inscripserat, de Sauromatis affert, rationem habere nos oportet Quamquam Hippocrates ea, quae ad geographiam vel res gestas pertinerent, in opere suo pertractare sibi non proposuerat, attamen quae nobis de variis nationibus profert earumque ingenio et moribus, gravissimi momenti sunt, quum a virò summae doctrinae minimeque ieiuni et superstitiosi animi prodita sint. Atqui hoc non est praetereundum, quod Hippocrates aliorum secutus relata, ea utrum possibilia sint, an obstent rerum naturae quaerit, neque tamen relatorum indolem respicit. Qua de causa quamquam ratiocinatio eius in rem ipsam convenit probaturque artis medicinae experimentis, tamen testimonia ipsa, quibus usus est, falsa et ex mercatorum ambiguis notationibus deprompta esse possunt. Huc accedit, quod Hippocrates rerum naturalium peritus, naturae quoque vim producendi et operandi ubique invenire studet, et ob hanc causam omnes rerum hominumque varietates mutationesque ex naturae legibus et necessitudine pendentes facit, quibus hodie quoque a nostris medicis saepius applaudi, at interdum nullo modo adsentiri potest. Quum enim Hippocrates [1]) verbi gratia de Macrocephalis audivisset eosque revera, non impedientibus legibus naturae, exstitisse persuadere studeat, [2]) haec res de eo non optimum facit iudicium, atque iis, quae ad alias res tanquam vere gestas pertinent, quaeque ab eo proferuntur, minorem fidem iniungit. Aeque se habent res, quae ab eo de Sauromatis traduntur, quorum mulierum natura bellicosa quum apud Herodotum ex Amazonum fabula, quarum mores et genus vivendi iis similia sunt, originem cepisset, apud Hippocratem

---

1) de aëre etc. §. 21. ed. Ermerins.

2) cfr. contra Strab. I, 2, 35.

nullum eius vestigium invenitur, sed ex aëris locorumque contagione mirabile hoc genus vitae bellicosae, qua omnino omnes Europae incolae ab Asiaticis se differunt, ab eo explicatur.[1] Itaque quum fere omnes Europae incolae fortiores ac bellicosiores, 'ut hoc locorum natura secum tulit', quam in Asia habitantes existimarentur, Sauromatarum quoque mulierum mores bellicosos ex eadem causa pendere, cui nulla inesse debet offensio, Hippocrates persuasum habuit. Quae ipse de Sauromatarum mulierum ingenio moribusque commemorat, mirum in modum in Herodoti de iis relata quadrant. Atque verba haec, quae apud utrumque scripta sibi respondent, perspicuitatis causa iuxta apponamus:

Herod. IV c. 114:	Hippocrat. §. 24.
Ἡμεῖς (αἱ Ἀμαζόνες) μὲν τοξευόμέν τε καὶ ἀκοντίζομεν καὶ ἱππαζόμεθα.	
coll. c. IV c. 116.	
.... *τῶν Σαυρομ ατέων αἱ γυναῖκες (καὶ) ἐπὶ θήρην ἐπὶ ἵππων ἐκφοιτῶσαι ἅμα τοῖσι ἀνδράσι καὶ χωρὶς τῶν ἀνδρῶν, καὶ ἐς πόλεμον φοιτῶσαι, (καὶ στολὴν τὴν αὐτὴν τοῖσι ἀνδράσι φορέουσαι.....)*	*Τουτέων (τῶν Σαυροματέων) αἱ γυναῖκες ἱππάζονταί τε καὶ τοξεύουσι καὶ ἀκοντίζουσι ἀπὸ τῶν ἵππων καὶ μάχονται τοῖσι πολεμίοις, ἕως ἂν παρθένοι ἔωσι.*
c. 117: *οὐ γαμέσθαι παρθένος οὐδεμία, πρὶν ἂν τῶν πολεμίων ἄνδρα ἀποκτείνῃ.*	*οὐκ ἀποπαρθενεύονται δὲ μέχρις ἂν τῶν πολεμίων τρεῖς ἀποκτείνωσι.*
αἱ δέ τινες αὐτέων καὶ τελευτῶσι γηραικαὶ πρὶν γήμασθαι, οὐ δυνάμεναι τὸν νόμον ἐκπλῆσαι....	*καὶ οὐ πρότερον συνοικέουσι ἤπερ τὰ ἱρὰ θύουσι τῷ εννόμῳ.*

Quae verba, tam mirifice apud utrumque concordantia, casui fortuito tribui nequeunt, sed e certo quodam, utrique communi, emanarunt fonte, vel unus alterum secutus exscripsit. Atqui magnum quoque inter eos intercedit discrimen. Quum enim Herodotus de uno tantum hoste loquatur, quem virgo

[1] cfr. §§. 20. 22. 23. 31. 33.

Sauromatica, priusquam nupserit, occidere debet, Hippocrates tres commemorat, quod omnes libri exhibent; neque quidquam ab Herodoto commemoratum est de eo, quod eorum mulieres dextra carerent mamma, quod Hippocrates novit, qui quum diligentius attulisset modum, quo illae eam exurerent, incrementum non capere et omne robur copiamque ad dextrum humerum et brachium transmitti, doctissime observavit. Hoc discrimen ex eo evenit, quod vel Hippocrates ipse, aliud testimonium secutus, haec adiecit verba, vel, quod certius esse duco, posteriorum aliquis, qui eum explanavit, ex aliis fontibus hanc notitiam depromptam huic Hippocratis narrationi inseruit. Neque enim concedi potest, Herodotum, si ei omnino Sauromatarum mulierum exurendae mammae mos notus esset, eum reticuisse, qui quidem talia, atque quae sunt similia, immo vero minus memorabilia commenta diligentissime collecta de aliis populis refert. Neque ratio, qua haec narratiuncula de exurenda mamma a Sauromatarum mulieribus exstiterit, obscura est, Graecumque fontem prodit. Quum enim Graeci, vel Hippocrates ipse, in vocabulo *ἀμαζών* Graecam inesse radicem credidissent, quae in *ἀ-μαζ-ός* recondita sit, ex usitato more propriis verbis exprimendae externorum nominum notationis, Amazonum nomen ingenuo vocabulo, quasi carerent mamma, interpretati sunt, quam interpretationem Herodotus quum nondum novisset, hunc exurendi morem existere apud Sauromatas ignorabat. Causa huius narrationis de exurenda mamma minime est occulta aut recondita atque optime rerum naturae respondet. Fabula enim, Amazonibus cum Sauromatis artissime coniunctis, mores quoque earum in hos transtulit, atque natura earum bellicosa nomenque ipsum plurimum ad fingendam hanc narrationem valuerunt, quae quum singulari Amazonum vitae respondebat, tum maxime necessaria fuit, ut haec earum vita tali modo gereretur. Atque eo facilius haec opinio exorta credebatur, quod igne naturam uniuscuiusque rei et hominis ipsius purgari veteres persuasum habuerunt, [1]) quod et Herodotus [2]) de Libyis, ad Tri-

[1]) cfr. Grimm, Deutsche Mythologie p. 341 sq. Movers I p. 328 sq.
[2]) IV c. 187.

tonidem habitantibus, narrat, qui pueris quadrimis capitum venas urebant, ut destillationes praecaverent; aeque Hippocrates [1]) simile remedium affert, quo Scythae ob naturae humiditatem et mollitiem usi sunt, ut corpora eorum validiora et habiliora neque tam tumida essent. Haec narratio de Sauromatarum mulieribus, quae mammam exurere dicebantur, nullam aliam originem habet, atque quam Amazonum nomen, non recte intellectum, secum tulit, quamquam autem Hippocrates eam rerum naturae convenientem facit, tamen eius de Sauromatis opinioni multa insunt, quae ex Amazonum fabula desumpta sunt. Jam haec causa, quod mos Sauromatis usitatus fuit, ut virgo, priusquam duceretur, hostem occidere deberet, cum sacrorum religione cohaerere videtur, quae quum appellationis *Οἰόρπατα*, quam Scythae Artemidi dederunt, admonet, tum in ritu sollemni, quem, ut Herodoti et Hippocratis [2]) verba declarant, Sauromatae sequebantur, videtur positus esse. Amazones enim quum Artemidis, numinis virginalis, sacrae ministrae virginitatis quoque intactae esse deberent, quae dea primum sacrificiis cruentis colebatur, facile factum est, ut proles earum eadem natura afficeretur. Ceterum Hippocratis verba: *θύουσι τῷ ἐννόμῳ* in libris varie scripta atque falsa sunt, quoniam pro vocabulo *τῷ ἐννομῳ* nomen proprium dei vel deae, cui sacrificabatur, desideratur. Atque quod Sauromatarum mulieres bellicosae naturae animique virilis erant, aeque ac quod virginitatem praecipue observabant, et vestes easdem atque viri ferebant, et sacra deo cruenta hostibus immolandis faciebant, non procul a vero abest, deum illum hoc loco apud nostrum non alium esse, atque Herculem, Sandan-Hammonem, qui ab Amazonibus ut Mars iuxta Artemidemeodem modo et sub iisdem formis colebatur, [3]) cuius sacerdotes integrae castitatis vestes in sacris faciendis mutabant deoque, cui in his praecipue regionibus apud

---

[1]) de aëre §. 27.

[2]) Ermerins: *ἧπερ τὰ ἱρὰ θῦσαι τά ἐν νόμῳ;* Coraës: *τὰ ἱερὰ τὰ τῷ νόμῳ*; Calvus: *τῷ Νομίῳ*. vulg. *τῷ ἐννόμῳ*.

[3]) cfr. Movers, I, p. 402.

Scythas [1]) ad Pontum [2] summus tribuebatur honor, victimas immolabant, [3]) atque nomen eius fortasse depravatum in vocabulo *ἐννόμῳ* continetur.

Sauromatas gentem Scythicam Hippocrates dicit, [4]) quae ad Maeotidem paludem in orientali eius ora habitet, ut e ratione, qua ille in describendis populis ad Phasianos et inde in Europam directo cursu transiens, Sauromatas, utpote qui primi haec loca obtineant, commemorat, sequitur. Quod vero Sauromatae *ἔθνος Σκυθικόν* appellantur, non est propria notione accipiendum, tanquam Sauromatae vere Scythica gens fuerint, nam, ut Strabo [5]) aperte dicit, a veteribus omnes gentes, quae ad septentrionem habitabant, uno nomine Scytharum vel Nomadum comprehensae vocabantur. Atque Hippocrates ipse Sauromatas a reliquis Scytharum gentibus (*τῶν ἐθνέων τῶν ἄλλων*) secernit, ad quas ubi transiit, commoratur in earum describendis moribus, minime Sauromatas respiciens, quamquam saepissime eorum occasio ei oblata est, ut, quum de ingenio moribusque et quae omnibus Scythis communia erant loquitur. Quum enim Scythas Hippocrates in paragrapho vicesima quinta forma inter se similes esse terramque eorum solitudinem Scythicam appellari, in qua Scythae Nomades degant, dicat, in paragrapho sequenti, quamquam de tota gente Scythica in universum, itaque etiam de Sauromatis, quippe qui Scythae dicantur, loquitur, tamen nullam aliam gentem quam eam de qua initio paragraphi prioris scripsit, in mente habet. Atque quod noster de Scythis affert, corpora eorum esse laxa et pinguia et debilia, quia nulla uterentur exercitatione [6]) aeque atque mulieres corporis habitu fluxo et infirmo, [7]) omnes vero fulvo colore, [8]) hoc, quum Scythis proprium sit (*τὸ τῶν Σκυθέων γένος*), ab-

---

[1]) Herod. IV c. 62.
[2]) Strab. I 3, 4.
[3]) cfr. Movers I, p. 453 sq.
[4]) de aëre §. 24.
[5]) I 2, 27.
[6]) de aëre §. 26.
[7]) ibd. §. 27.
[8]) ibd. §. 28.

3

unde rem declarat, Hippocratem Sauromatarum gentem a Scythis alienissimam esse in mente habuisse, atque appellationem hanc Sauromatarum, quasi gens Scythica esset, laxiore significatione et geographico sensu ab eo dictam esse. Hoc revera ita se habere, quum ex posterioribus, qui gentes, quae in borealibus habitabant regionibus, quamquam non Scythicae originis, Scytharum tamen nomine appellabant, tum ex Herodoto ipso ostendi potest, qui [1]) verbi gratia Melanchlaenos moris Scythici esse dicit, quamquam non sunt Scythae, [2]) quo argumento Hecataeum Milesium, qui Melanchlaenos gentem Scythicam vocat,[3]) coarguere videtur. Similiter Androphagi Scythicas vestes ferebant, neque erant Scythae [4]), et Neuris mos erat Scythicus, [5]) quamquam extra Scythiae fines aeque ac Geloni, qui sermone Scythico cum Graeco mixto utebantur,[6]) habitasse dicuntur. Atque quomodo nomen *Σκύθαι* intelligendum et quantus eorum, qui *ὡς Σκύθαι εἰσίν,* numerus sit, Herodotus docet. [7])

In fontibus, quos modo perlustravimus, affinitatem quandam existere, satis apparet, quae sive artiore, sive laxiore vinculo constricta variam quoque originem prodit. Quum enim inter Herodotum et Hippocratem maxima sit similitudo eorum, quae de Sauromatis narrantur, altera ex parte magnum inter eos intercedit discrimen, quod quum ex Amazonum fabula tantum explicari possit, eam quasi communem nodum atque principem Sauromatarum notitiae fontem, quem etiam Argonautica indicant, accipere nos oportet. Quorum fontium natura, quum ex mythicis conglutinati sint narrationibus, simillimam praebuit formam, quae demum ex iis evoluta in res vere gestas convenit. Neque tamen negari potest, aliud quoque narratorum ge-

---

[1]) IV c. 107.
[2]) ibd. *ἄλλο ἔθνος καὶ οὐ Σκυθικόν.*
[3]) Steph. Byz. s. v. frgm. 154 ed. Klausen.
[4]) Herod. IV c. 106.
[5]) IV c. 105 coll. c. 100.
[6]) IV c. 108 coll. c. IV c. 21.
[7]) IV c. 81.

nus ex his fontibus pellucere, quod quum mercatorum narrationes sequitur, tum aliorum certiora testimonia petere videtur.

Nam haec loca ad Pontum sita magnopere Graecos praecipue aliosque populos respexisse atque iam antiquissimis temporibus frequentasse, quum ex fructibus divitiisque harum regionum, tum e scriptoribus et poetis declaratur.[1] Quare Graeci propter mercaturam, quam cum his gentibus faciebant, notitiam quoque earum sibi acquirebant, quam, quum tempore aucta esset, certa forma describi oportebat. Unde exortae sunt tabulae geographicae, *πίνακες* appellatae, in quibus in simplicissimum videlicet modum et ad certum ordinem singulae partes terrae populique et maria atque flumina insculpta erant, quarum auctores Anaximander,. qui primus *γεωγραφικὸν πίνακα*[2] composuisse dicitur, et Aristagoras,[3] cuius *χάλκεος πίναξ* a priore non multum differebat, nominantur. Atque itinera terrae cognoscendae causa facta sunt,[4] quibus notitiae locorum acquisitae, literis, quae *περίοδοι γῆς* dicebantur exprimebantur. Talem descriptionem orbis terrarum scripserunt Hecataeus Milesius,[5] Dionysius ex eadem urbe,[6] Charon Lampsacenus,[7] Hellanicus Lesbius[8] aliique plurimi. Quum vero Graeci mari magis, quam terra mercaturam facerent, hae quoque gentes noscebantur, quae ad oram vel proxime eam accolebant, quarum cognitionem ex libris *περιπλοῖ* vel *παραπλοῖ* appellatis, in quibus eodem ordine, in quo singulae singulis locis inventae sunt, notabantur, haurire possumus. Vetustissimum talem periplum vel circumscriptionem terrae Scylax Caryandensis scripsisse dicitur, cuius opus a posterioribus exscriptum aliorumque additamentis auctum, ea forma qua nobis

---

1) cfr. Welcker der ep. Cycl. I p. 276.
2) Strab. I 1, 11.
3) Herod. V 49.
4) Herod IV c. 44.
5) Steph. Byz. s. v.
6) Mueller frgm. hist. Gr. II p. 5.
7) Vossius de hist. Gr. p. 21.
8) Voss. ibd. p. 28.

servatum est, ad quartum seculum a. Chr. pertinet.[1]) Itaque quum ex variorum variis argumentis, quae eius operi de his gentibus inserebantur, conflatum sit, cautissime eo, magis testis loco ad confirmanda aliorum testimonia, quam fonte ipso uti possumus. Nautarum modo oram Ponti occidentalem secutus aeque atque Herodotus[2]) post Istrum fluvium Scytharum esse gentem dicit, et iuxta eam in continenti terra, quae tanquam promontorium in mare procurrit, Taurorum esse gentem et post eam Scythas, in quorum finibus urbes Graecae Theudosia, Cytaea etc. sitae sint, affert. Scylace auctore gentem Tauricam in occidentali paeninsulae parte non longius quam ad lineam, quae per Criumetopum describi posset, pertinuisse, ex altera vero parte ad solis ortum Scythas habitasse consentaneum est. Huic consentit Herodotus,[3]) qui Scythas ad Bosporum, quem congelatum ad Sindos traiciant, commemorat; aeque Scymnus Chius,[4]) Ephorum secutus, cum Anonymo[5]) supra Panticapaeum Scythas nominat atque Plinius[6]) ab ortu in Taurica Scythas Satarchas habitasse dicit. Septentrionem versus naviganti ad sinistram occurrunt Scythae, qui ab extero mari sc. Ponto super Tauricam usque ad Maeotidem paludem porriguntur. Verba, quae leguntur: *καθήκουσι γὰρ ἐκ τῆσ ἔξω θαλάσσης ὑπὲρ τῆς Ταυρικῆς εἰς τὴν Μαιῶτιν λίμνην* necessario cum *Σκύθαι*, neque cum *Συρμάται*, ut Hudsonius,[7]) Ukertus, Klausenius,[8]) St. Martinus[9]) aliique complures accipiunt, coniungenda sunt, quare sedes Scytharum, quum post Thraces Scy-

[1]) cfr. C. Mueller, Geograph. Gr. min. T. I prolegg. p. 44. St. Martin Études de géographie ancienne p. 228. id. Histoire géographique de l'Asie-Mineure ancienne p. 275.

[2]) IV c. 90.

[3]) IV c. 28.

[4]) Orb. descript. v. 838. (Mueller.)

[5]) Peripl. Pont. Eux. §. 50. (Mueller.)

[6]) VII 12, 85.

[7]) Geogr. Gr. min. T. I p. 30.

[8]) Frgm. Scylac. Caryand. p. 209.

[9]) Études I p. 229.

thas ad exterum incolentes mare[1] (ἡ ἔξω θαλασσα), tum urbes Graecas et Tauricam cum coloniis Graecis, tum iterum Scythas et Graecorum urbes et denique Scythas Scylax commemorasset, tanquam continuae, quamquam tot dispertitae nominibus aliis, duobus conclusae maribus cohaerere ab eo designantur. Simili modo Sindorum[2]) gentis fines extra paludem pertinere notantur, ubi Maeotis palus et Pontus sibi opponuntur.

Quae tum sequuntur in codice scripta sunt: *Συρμάται ἔθνος· καὶ ποταμὸς Τάναις· ὁρίζει Ἀσίαν καὶ Εὐρώπην*, quae quamquam brevia, soluta interruptaque sunt, tamen, deleta media distinctione (semicolon), quae est post *Τάναις*, viatoris rationi perscribendi nomina, quae laxe, sine ulla concinnitate locorum ordinem sectantur, respondent, ut verbis a Niebuhrio suppletis, [*μετὰ δὲ Σκύθας*] *Συρμάται ἔθνος καὶ ποταμὸς Τάναις*, [*ὅς*] *ὁρίζει κτλ.* carere possimus. Forma *Συρμάται*, quam Gailius[3]) in *Σαρμάται* mutari vult, primum hoc loco apud nostrum legitur, quae simillima ei, quae sequitur, *Σαυρομάται*, et ab Herodoto, Hippocrate et in Argonauticis constanter usitata est, tanquam ex altera contracta vel depravata pro Sauromatis usurpata esse a plerisque creditur. Si quidem formam *Συρμάται* pro *Σαυρομάται* esse positam, vel ad designandam quandam Sauromatarum gentem usurpatam statuimus, Sauromatas tum Tanain, qui posteriore tempore in universum terminus inter Europam et Asiam ducebatur, transiisse necesse est. At haec distinctio finitimarum gentium sophistarum potius vel rhetorum generi dicendi convenit, neque tamen naturali et principali significationi, quam tropus sermonis ad conformanda nomina transfert, accomodata est. Neque cum Muellero[4]) in formas, quae sunt Melienses (*Μηλιεῖς*) et Malienses (*Μαλιεῖς*)[5]) haec varietas nominum quadrare potest, quoniam illae, peculiari quodam modo dictae, siquidem lectio recta est, ex loci

---

[1]) Scyl. Caryand. §. 68.

[2]) §. 72: *διήκουσι καὶ εἰς τὸ ἔξω τῆς λίμνης.*

[3]) Geogr. Gr. min. I p. 447. not. 443.

[4]) in annott. ad. h. l.

[5]) Scyl. Caryand. §. 62.

natura sive ad designandam originem harum gentium, sive ad imitandum vel irridendum proprium eorum genus dicendi spectare videntur. Quam ob rem quum ex sono verborum, qui Graecorum auribus fortasse aliter ac nostris audiebatur, nihil certi diiudicari possit quaenam sit sententia scriptoris, ex ipso quaerendum est. Manifestum est, a nostro Syrmatarum gentem a Scythis et a Sauromatis secretam et segregatam sine ullo cuiuslibet affinitatis vinculo distincte dictam esse. Neque enim, si quae propinguitatis ratio iis inesset, noster omnino has gentes separatim nominasset, quandoquidem magis iis temporibus accomodatum est, ut complures gentes quamquam diversae originis, eadem incolentes loca, eodem nomine vocentur. Ceterum omnis haec pars apud Scylacem pleraque vestigia varie vario tempore inserta prodit. Jam natura huius testimonii maxime Herodoti admonet, quum quod ad Scythiae fines attinet[1]), tum de Tauricae forma[2]) aeque ac de Maeotidis paludis magnitudine[3]) communis est opinio utrique, quorum uterque de orientali paludis ora haud magnam notitiam profert eamque a gentibus, quae latioris significationis nomine Maeotae appellentur, incoli ab utroque traditur[4]). At ex altera parte grave quoque discrimen inter eos intercedit. Quum enim noster Tanaide fluvio Europam ab Asia dividi statuat, Herodotus[5]) Phasin eas dirimentem facit; nam verba *οἱ δὲ Τάναιν...λέγουσιν* apud Herodotum a posteriore quodam, ut aliam de finibus utriusque terrae partis opinionem afferret, inserta sunt. Herodoti de Asiae et Europae finibus opinio ab aliis quoque scriptoribus comprobatur[6]), qui Asiam Phaside fluvio terminari putant, quod

---

[1]) cfr. Herod. IV c. 100. 101.
[2]) Herod. IV c. 99.
[3]) cfr. Herod. IV c. 86.
[4]) Herod. IV c. 123.
[5]) Herod. IV c. 45.
[6]) Pind. Isthm. II 61, Aeschyl. Prometh. sol. in Frgm. Aesch. p. 190 (ed. Didot.) Eurip. Androm. 651. Hippocrat. §. 23. Plat. Phaed. p. 109. cfr. Agathem. I, 1 in Huds. Geogr. min. II, p. 3. Arrian, Peripl. *Pont.* Eux. §. 29. ed. Mueller. Aristotel. de mund. 393 b 20, b 25, b

cum temporis vetustioris nondum tam propagata cognitione, quae terras magis boreales minime spectabat, concordat. Quae res quum de posteriore origine huius testimonii testetur, quo Syrmatae in Europa collocantur, nomen ipsum tamen Syrmatae aeque ac Sauromatae rectum et ex certo fonte desumptum esse potest, quod Eudoxus[1]) et Plinius[2]) non ignorabant. Ex vetustiore vero fonte Sauromatarum notitia et fluxit, qui primi (in Asia) ad mare incolebant[3]). Haec nostra sententia de duobus variis fontibus, ex quibus Scylacis horum locorum cognitio emanavit, etiam hoc firmatur argumento, quod Sauromatae ad m a r e (*ἐν τῷ Πόντῳ*), quo Maeotis palus designatur, collocantur; tum ipsa forma, quam hoc testimonium in libris allatam exhibet, minime eam coarguit, immo vero quum in codd. titulus *Σαυρομάται* ante verba *καὶ πρῶτον ἔθνος κτλ.* positus videatur suprascriptus esse, ut iam Vossius monuit, et particula *καὶ* maxime offendat, hanc Scylacis partem variorum manibus deformatam esse nemo negabit. Quod vero Pontus pro Maeotide palude a Scylace aeque atque ab Hecataeo Milesio[4]), qui Ixibatas gentem, quae nulla est alia atque Iaxamatae, ad Pontum commemorat, nominatur, cum vetustissima de hac palude Graecorum opinione cohaeret, qui quum eam maximam esse duxissent[5]), m a r i s (*θάλαττα, πόντος*) nomen ei tribuerunt[6]), atque quod cum Ponto coniuncta ei aquam praebebat, matrem Ponti appellarunt[7]). Haec res abunde docet, appellationem huius paludis, tanquam mare esset, ad vetustissimam Graecorum terrae cognitionem spectare, nomenque ipsum Maeotidis

---

30. Timosthen. ap. Plin. V 9, 9. Hecat. Miles. quoque Dandarios ad Caucasum in Europa collocat, ap. Steph. Byz. s. v. cfr. Schol. ad Apollon. IV 259.

[1]) Eudox. ap. Steph. Byz. v. *Συρμάται.*

[2]) VI, 16, 48.

[3]) Scyl. §. 70.

[4]) ap. Steph. Byz. cfr. Hecat. frgm. ed. Klausen. p. 91.

[5]) Herod. IV. c. 3. 57. 86.

[6]) Polyb. IV 40, 9: (ἡ *Μαιῶτις*) ἐξ ἀρχῆς θάλαττα σύρρους τῷ πόντῳ καθὰ οἱ παλαιοὶ συμφονοῦσι, νῦν ἔστι λίμνη γλυκεῖα.

[7]) Herod. IV c. 86.

posterioris esse originis, quod ex opinione demum, qua palus haec cum Oceano coniuncta Ponto aquam immittens eum genuisse putabatur, in naturalem et antiquissimo tempori accommodatum modum derivatum est. Haec nostra sententia quum in Graecorum de hac palude opinione vetustissima, quam Herodotus et Polybius nobiscum communicant, tum in nomine ipso *Μαιῆτις*[1]) nititur, cui eadem inest radix atque vocabulis *μή-τηρ*, ma-ter etc.[2]) et cum verbo *μαιόομαι*, tanquam nutricem significans, coniunctum, ex Scythico huius paludis nomine Temarunda, sive mater maris[3]) tralatum videtur esse.

Sauromatarum gentem quandam ab mulieribus regi Scylax dicit. Vocabulum *γυναικοκρατούμενος* nomen proprium significare, neque ad describendos Sauromatas appositum esse e ratione, qua hae coniunguntur gentes, apparet, et eo comprobatur, quod Maeotarum gens Gynaecocratumenos, quos Scylax ex ordine postremum appellaverat, neque Sauromatas, si revera hoc comprehensi essent nomine, sequitur; atque ob hanc rem cum Hudsone *Γυναικοκρατούμενοι*, neque cum Muellero *γυναικοκρατούμενον*, ut libri exhibent, scribendum est. Hoc nomen Graece tralatum, sive ex ingenuo huic genti proprio nomine desumptum esse, sive moris vel instituti cuiusdam singularis, e quo summam potestatem mulieres reginae tenerent, designandi causa, exstitisse manifestum est. Atque mos, e quo summa imperii penes reginas esset, quamquam omnino non est novus neque inexauditus, attamen haud vulgaris et a Graecorum institutis alienissimus. Qua de causa, quum similia instituta, quae apud Scythas praecipue inveniebantur, ad Graecorum opinionem minime convenirent, de his quoque populis variae circumferebantur narrationes, quae auctae atque exornatae multiplicibus commentis, tot fabularum causam sustinent. Inde mulierum, ut Semiramidis, quae omnino fabulosa

1) cfr. Boeckh. Corp. inscrpt II p.
2) vid. Ritter, Vorhalle p. 161. sg.
3) Plin VI 7, 20.

facta est dea item ac Dercetis, Sparethrae [1]) et Zarinae [2]), quae Sacis praeerant, et Tomyris [3]) res gestae propius iam ad fabularum accedunt naturam, neque magna fides iis tribuenda est. Haec res causa fuit, cur Graeci, quum summam rerum penes reginas esse accepissent, mulieres quoque omnes, quarum natura aeque ac principis earum fortis et virilis esse debeat, muneribus civilibus fungi et omnino virorum partes suscipere dicerent. Qua re factum est, ut mulierum civitas existere crederetur, quae cum Amazonum historia, certis praecipue locis fixa, coniuncta, iis quoque tribuebatur. Hanc opinionem ex more illo usitato originem duxisse, e Diodoro [4]) optime dilucidatur, qui quum Amazonibus cum Scytharum mulieribus, regimen obtinentibus, coniunctis, ad Thermodontem gentem reginae neque regi parere et ob hanc rem *ἔθνος γυναικοκρατούμενον* appellatam esse, audivisset, eodem loco Amazonum civitatem collocatam fuisse putavit, quarum res gestae ab eo enarratae [5]), cum iis, quae de Scythis protulerat [6]), tanquam repetitae, artissime congruunt. Itaque ob hanc neque aliam causam Sauromatarum gentem hac appellatione esse dictam apparet, qui mos aeque ac cultus Artemidis tot taliumque commentorum de iis causa fuit.

Quum in fontibus a nobis pertractatis, qui ad res Sauromatarum spectant, quaedam affinitatis species non obscura apparuerit, quae qum ex eorum natura, tum e ratione, ex qua haec loca cognoscebantur, declaratur, in iis, qui nunc sequuntur, multa alia nobis occurrunt, quibus a prioribus differunt. Atque quod ad originem eorum fontium attinet, qui quum ii, qui non multo posterioris quam quos percurrimus, erant aevi, interiissent, ad recentiora vel recentissima spectant tempora, et hoc effugere nos nequit, quod maximam partem ex alienis de-

---

[1]) Ctesias in Photii Biblioth. cod. 72 p. 107.

[2]) Diod. II c. 34. Nicol. Damasc. in Excerpt. Vales. p. 30. cfr. Orelli in ed. p. 180.

[3]) Herod. I c. 205.

[4]) II c. 44.

[5]) II c. 45.

[6]) II c. 43.

sumpti sunt testimoniis, quae et locorum et temporum varietate magnopere inter se distant. Neque enim dubitari potest, quin, qum has regiones Graeci semper plurimum spectarent, haec loca populique in iis degentes ab eorum scriptoribus neglecti sint, quod singulis singulorum de iis commentariis coarguitur. Sic Eudoxus, qui secundum Stephanum Byzantium Syrmatas ad Tanain fluvium commemorat, eos respexisse videtur aeque atque Ephorus, qui quum Polybio auctore [1]) in universali historia, quam composuerat, de coloniis et migrationibus, de ducibus gentium ac consuetudine, qua inter se populi usi sunt, optime scripsisset [2]), de Sauromatis quoque eorumque sedibus tractavit. Quae Ephori de his locis fuerit cognitio, ex fragmentis, quorum nonnulla apud Anonymum, qui vulgo Scymnus Chius appellatur, et Strabonem servata sunt, cognoscere liceat. Neque tamen in pertractandis iis parvi est momenti, quod quum longum inter Ephorum atque eos, qui eum expilarunt, intercedat temporis spatium, quo et incolae varii his locis se exceperunt et novus ibi exstitit ordo rerum, gentes quoque novae, quae apparuerunt, nondum satis cognitae, cum aliis notioribus conferebantur, atque ob hanc causam et nos diligentissime haec omnia, quae a posterioribus inserta sunt, secernere oportet.

Scymnus Chius [3]) quum in opere suo, quod ex variorum testimoniis congestis conglutinaverat [4]), ad eas, quas nos respicimus, regiones describendas processisset, fines Scythiae atque gentes, quae in ea habitabant, septentrionem versus pergens ex Ephoro affert. Quamquam Ephoro apud Scymnum cum Herodoto in enumerandis singulis Scytharum gentibus maxima est similitudo, tamen discrimen, quod inter eos intercedit, haud parvum est quum quod ad loca, quae uterque inter singulas distribuit gentes, tum quod ad nomina, quibus eas appellant, attinet. Atque omissa iam gente Carpidarum, qui ad Istrum

---

1) V 33, 2.

2) id. IX 1, 4. XXXIV 1, 3. Strab. I 2, 28.

3) Orb. descrpt. §. 841 sgq. (ed. Mueller.)

4) ibd. v. 109 sg.

accolebant, neque cum Callipidis, qui alias secundum Herodotum[1]) regiones obtinebant, confundendi sunt, Limnaeorum nomen[2]), qui ultra Panticapen his locis degere debebant, quae Herodotus[3]) Scythis nomadibus usque ad Gerrhum fluvium tribuerat, eo magis offendit, quod secundum Ephorum aliae quoque plures gentes singulae nominibus non notae, quae summatim Nomadicae vocantur, iisdem inveniuntur locis. Nomen (Scytharum) Nomadum, quod apud Herodotum legitur, ad earum gentium rationem vitae spectare videtur, quae neque serunt, neque arant, in terra arboribus carente degunt, dum apud Ephorum nomine Limnaeorum certas quasdam certis locis habitantes gentes comprehensas esse apparet. Quod vero Ephorus de Scytharum Nomadum moribus dicit, maxime Herodoti[4]) admonet atque communis est veteribus opinio, quasi barbarae nomadesque gentes maxime piae et felicissimae essent[5]); aeque quod ille de Scythis sc. Nomadibus, qui in Asiam transgressi Sacae nominati essent, affert, ex Herodoto[6]) desumpta videntur esse, qui de Scythis eorumque in Asia dominatione passim loquitur, neque ab eo abhorret, quod Herodotus[7]) de Scythis, qui Amazones trans Tanain secuti sint, narrat. Verba quae apud Scymnum sequntur, quibus Ephorus Sauromatarum, Gelonorum Agathyrsorumque gentes clarissimas vocat, hoc loco, quo apud nostrum posita sunt, offendunt, quum ex iis gentes has, quae cum Scythis artissime coniunctae ante Maeotidem paludem et Tanain fluvium nominatae sunt, Scythicas esse atque in Europa incolere statuendum sit. Atqui quod hae gentes proxime Scythas sine ullo discrimine nominantur, respondet hoc Ephori opinioni, qui antiquissimorum rationem secutus, omnes gentes, quae ad septentrionem habitabant, Scythas ap-

---

[1]) IV c. 17.

[2]) Scymn. Ch. v. 850,

[3]) IV c. 19.

[4]) IV c. 46.

[5]) cfr. Hellanic. Lesb. frgm. 106 ed. Sturz. Pompon. Mela III. 5, 2. Iustin, II 2. Diod. II 47. cfr. Strab. XII 3, 26. Herod. IV 32. 23.

[6]) VII c. 64. coll. c. IV c. 11. I c. 15! 103.

[7]) IV c. 116.

pellabat [1]; atque qua significatione vocabulum Σκυθικὸν γένος ducendum sit, ex Herodoto [2]) cognovimus. Ceterum Ephoro ipsi gentium, quae in his regionibus Scythiae notae erant, non obscura fuit diversa origo, quam quoque leniter significat. Quum enim noster [3]) Scythiae fines, quibus describendis immoratur, aeque atque Herodotus [4]) usque ab Istro incipere putet, ut ex versibus 756, ubi Dionysopolin in Scytharum terra, et 765 Tomidem coloniam a Scythis accolis undique cinctam commemorat, elucet, de propinquitate quadam inter eas gentes minime cogitari potest, quod Scymnus ipse vel Ephorum secutus annotat. Quamquam enim Carpidae ad Istrum [5]), tum Aroteres Neurique, qui ulteriores erant, deinde Tyras, colonia Milesiorum [6]) atque Olbiae regio in Scythiae finibus esse a nostro dicuntur, tamen ita ab eo tractantur velut non essent in Scythia, qui Borysthenen demum transgressus [7]) Scythas in Hylaea atque usque ad Maeotidem paludem Scythicas habitare gentes diserte et nominatim dicit [8]). Haec distinctio affinitatis inter eas gentes Herodoto respondet, qui [9]) inde ab Istro septentrionem versus Scythiam ab Agathyrsis, Neuris etc. quos ab eius incolis secludit, terminari dicit, atque Sauromatas et Gelonos minime iam in Scythia habitare contendit [10]). Itaque quum appellatio Σκυθικὸν ἔθνος propria significatione in gentes, quae a Borysthene usque ad Maeotidem degebant, tralata videatur esse, ut quoque Ephorus ipse vel addito vocabulo Σκυθικός, vel moribus describendis, qui in Scythas tantum conveniunt, revera Scythicas eas gentes fuisse designat, Sauromatarum, Gelonorum

---

1) Strab. I 2, 28.
2) IV c. 81.
3) Orb. descrpt. v. 838.
4) IV. c. 101.
5) Scymn. Ch. v. 841.
6) id. v. 803.
7) ibid. v. 844.
8) ibd. v. 850—859.
9) IV c. 100.
10) Herod. IV c. 21.

Agathyrsorumque gentes Scytharum propinquitati abnegandam esse elucet.

Atque quod Scymnus gentes supra dictas ante Maeotidem et Tanain, ergo in Europa collocat, omnibus testimoniis, quae perlustravimus repugnat, neque alio modo explicari potest, quam quod Ephori aetate hae gentes iam Tanain transierant, ut Scylax[1]) quoque Syrmatas ad Tanain fluvium collocavit. At, ut supra monuimus, Scylacis notitia posterioris originis est, atque verba Ephori, qui ipse se refutat, tolerari non possunt. Nam gentes, quae trans Panticapen habitabant, Limnaeorum nomine collectivo Ephorus dicit, praeter quas aliae plures haud notae singulae nominibus, Nomadicae appellatae, degebant, quarum appellatio minime in opinionem eius, quam de Sauromatis, Gelonis Agathyrsisque habuit, quippe qui eos clarissimos esse tradiderit[2]), quadrat. Haec discerpantia atque quod Ephorus Agathyrsos, quos Herodotus[3]) aliis commemorat locis ac quibus Sauromatae Gelonique degebant, una cum iis quasi in eorum confinio affert, inducunt nos in opinionem, Scymnum testimonium Ephori sive non intellexisse, sive cum aliorum relatis turbasse. Causam eius erroris Ephorus ipse Scymno dedit. Quum enim Ephorus Europae descriptionem Scytharum gentibus in fine libri quarti, qui Europa inscriptus erat, pertractatis absolvisset, transiit ad aliam terrae partem, videlicet Asiam, Sacas Scytharum gentem secutus, ut ex Strabone[4]) et Nicolao Damasceno, Ephori assecla, elucet[5]). Jam ex hac re, quod Ephorus in extremis terminis Europae Scythas collocavit, apparet, Scythas ultimam gentem in Europae et Asiae limine ab eo habitam esse, atque quum moribus a Sauromatis omnino differrent, nullo modo cum iis confusos esse. Huc accedit, quod Ephorus Scymno auctore[6]) in orientali parte Maeotidis paludis

---

[1]) Peripl. §. 68.
[2]) Scymn. Ch. v. 862.
[3]) Strab. VII 3, 6. cfr. Marx. fragm. Ephori. p. 139.
[4]) Strab. l. c.
[5]) Nicol. Damasc. frgm. p. 142. (Orelli.)
[6]) Orb. descrpt. v. 881.

Maeotarum gentem Sauromatas esse duxit, quorum nomen in Asia aeque ac Scytharum in Europa latioris significationis munere fungi statuit. Quare dubitari non potest, quin Scymnus Chius notitiam, quam apud Ephorum de Sauromatis in Asia invenerat, quum aetate Scymni gens illa iam in Europam transiisset, ad sua accommodarit tempora eaque parum apte descriptioni, quam ex Ephoro et Demetrio congesserat, interposita, omnem Ephori testimonii turbarit ordinem

Trans Tanain in Asia Sarmatas terram duo millia stadiorum obtinere Scymnus tradit[1]), atque eos gentem Maeoticam, quam Demetrius Jazamatas, Ephorus vero Sauromatas appellent, excipere profert. Nomen Sarmatarum primum hoc loco apud Ephorum legitur ac genti, quae eadem incolebat loca, quibus Sauromatas invenimus, tribuitur. Neque latere potest, nostrum Sarmatarum nomine pro Sauromatis, quae forma apud omnes scriptores, quos citavimus, constanter invenitur, promiscue at vero diverso sensu usum esse. Nam quum Maeotas Jazamatas esse Demetrius dicat, itaque singularem proprio nomine appellatam gentem esse statuat, Ephorus eos Sauromatas vocat, quod tum fieri tantum potuisset, si Maeotae aeque ac Sauromatae alienissimi Sarmatis fuissent. Perspicuum est nostrum, quod ad hoc nomen attinet, usum aevi sui esse secutum, quo duo haec nomina Sauromatarum et Sarmatarum promiscue usurpata variarum tamen gentium esse putabantur, ut ex Plinio[2]) elucet, qui Sauromatas a Sarmatis distincte secernit. Tum quod Scymnus de Sauromatis affert, qui cum Amazonibus e regione ad Thermodontem sita in haec loca delatis coniuncti, *Γυναικοκρατούμενοι* essent dicti, non ex Ephori notitia, quam Strabo quoque minime respexit, desumptum est, sed ex illa notissima fabula, ut iam verbum *λέγουσιν* huius fontis originem declarat, emanavit. Attamen fabula illa, quam noster de Amazonum migratione attulit, ab ea differt, quae apud Herodotum legitur, qui Amazones una cum Scythis in haec transfert loca, quo secundum Scymnum directo cursu advenerunt. Quae res

[1]) ibd. v. 876.
[2]) VI 5, 16; 7, 19.

atque quod noster totam Sauromatarum gentem Gynaecocratumenos vocat plurimum facit, ut fabulae huius originem et stemma persequi possimus. Nam quum apud Scylacem, qui nomen Gynaecocratumeni ex more apud Sauromatarum gentem usitato desumptum novit, nulla Amazonum cum Sauromatis coniunctarum mentio facta esset, in fabula, quam nobis Herodotus quum illum morem secutus, tum quod cultus Magnae Deae ex Asia ad has gentes propagatus erat, profert, Sauromatae et ab mulieribus regi et Amazonum proles esse dicuntur.

Quod ad Jazamatarum nomen attinet, quo Demetrius Callatianus Maeotas, qui iam secundum Argonauticorum poetam, Scylacem, Herodotum in his habitabant locis, appellat, apud varios scriptores sub varia forma occurrit [1])

Ex his, quae de Scymno attulimus, apparet, eum compluribus fontibus usum esse, quos non apte compilatos ad sua refert tempora. Cuius discrepantiae vestigia quum ex natura notitiae, quam Scymnus horum locorum habuit, tum ex forma ipsa eius operis elucent. Nam Scymnus in describendis his locis atque gentibus Ephorum pedetentim usque ad versum octingentesimum sexagesimum quartum secutus, eius profert testimonium, quod iterum in Herodoto nititur; tum variorum auctorum varias, quod ad Tanain fluvium et Maeotarum nomen attinet, affert sententias easque exhibitas comparat. Itaque ea, quae iam supra summatim de Sauromatis attulerat, repetit latius tantum et sub nova forma ex altero auctore desumpta; inde et hic apud eum exortus est error, ut quum gentes trans Tanain in Asia habitare commemoret, Asiam a Bospori demum ore incipientem faciat: quae omnia abunde ostendunt, quam inconsiderate et servilem in modum fontes alios exscripserit.

---

[1]) vulg. Ἰαξαμάται; Ἰξιβάται Hecat. Miles. ap. Steph. Byz. s. v. Ἰαζαβάται ap. Steph. Byz. s. v. Ἰξομάται Polyaen. VIII 55. Iaxamatae Plin. III. 5. Pompon. Mela I 19. 17. Exomatae Valer. Flacc. Arg. VI 143; a quibus Ἰάμαι Hecataei ap. Steph. Byz. gens Scythica atque Ἰάμοι Alexandri ἐν τῷ περὶ Εὐξείνου πόντου, Ἰαμαξάται, vel, ut plerique codd. exhibent, Ἰαξαμάται ap. Ptolem. V 9 non alieni sunt.

Ex eo, quod de Ephoro attulimus, apparet, Sauromatas usque ad eius aetatem Tanaide fluvio a Scythis separatos in Asia habitasse, neque cum Schaffarico [1], qui Eudoxum [2] secutus, Sauromatas iam longe antea in occidentali Tanaidis ora collocari vult, eos iam in Europam transiisse statuendum esse, quum ex Eudoxo, qui est Cnidius minor circa annum ducentesimum quinquagesimum quintum a. Chr. auctor γῆς περίοδος a Strabone saepius laudatus, neque ille maior, ut falso idem vir doctus accipit, hoc quoque minime eluceat.

Notitia horum locorum tempore crevit atque pro consuetudine, quae Graecis cum eorum fuit populis, mores quoque harum gentium certiores fiebant et a Graecis ut singulare quiddam et ab eorum institutis alienissimum saepissime respiciebantur. Aeque inter populos, qui tunc noti erant, haud parvi ducebantur, quorum genus vivendi et instituta minime ignota fuerunt, ut ex Aristotele apparet, qui de Scythis eorumque moribus [3], institutis ac vita publica [4] commemorat, aeque atque de agricultura et variis eorum animalibus [5] edoctus fuit. Cognitio quoque earum terrarum certiorem iam formam praebet; nam Aristoteles non solum veram Maeotidis paludis notitiam habet [6], et spatii longitudinem inter Maeotidem et Hyrcanum mare non ignorat [7], sed etiam maris, quod ad septentrionem supra Scythiam usque ad Herculis columnas porrigitur, conscius est [8]. Simili modo gentes haec incolentes loca haud parum ei notae erant, quippe qui afferat, apud Sauromatas oves ob frigus duro esse pilo [9], apud Gelonos, quos quidam Scythas esse dicant,

[1]) Slavische Alterthuemer ed. Wuttke I p. 336.

[2]) Steph. Byz. v. Συρμάται.

[3]) Arist. de animal. gener. 782, b 33. physiognom. 805. a 27. problem. 872, a 2. de mirabil. auscult. 875, a 1 sq. coll. c. Aelian. 9, 15 et Pseudoarist. mir. 141 ap. Rose Aristotel. Pseudoepigraph. p. 342.

[4]) de rep. 1324, b 12 et 17.

[5]) histor. animal. 576, a 21. ibd, 631, a 2. de mirabil. auscult. 832. b 9. problemat. 925. a 25, de animal. gener. 748, a 25.

[6]) de mundo 393, a 31.

[7]) de mundo 393, b 20.

[8]) de mundo 393, b 7.

[9]) de animal. gener. 783, a 13

tarandum haud frequentem esse, qui pro variis locis varium habeat colorem [1]), atque Neurorum et Budinorum animalia noverit [2]). Quae omnina quamquam maximi sunt momenti, quod posteriores, qui Aristotelem secuti eius quoque rationem in describendis singulis locis perscrutandisque singularam gentium et urbium monumentis imitabantur, tamen horum operum, quae a posterioribus parce eruta, saepius maxime deformata sunt, memoria prope omnis abolevit. Neque enim Atthidis librorum, neque rerum Alexandri Magni fragmenta cuiuslibet de Sauromatarum gentibus notitiae exhibent vestigia, neque quae nobis ex Diodori Periegetae, Eudoxi Cnidii, Eratosthenis, Polemonis aliorumque operibus carptim expilata servata sunt, earum res gestas dilucidant. Similiter Polybii liber praeter certam Maeotidis et Ponti notitiam, quam ex Eratosthene excerpsit [3]), qui quidem ex Stratonis certe illius Lampsaceni physici [4]) opere pleraque recepit [5]), nihil quod sit gravioris momenti de Sauromatis continet. Quod in foedere inter Eumenem et Pharnacen facto etiam Gatali cuiusdam Sarmatae mentionem facit [6]), Sauromatas bello, quod inter Eumenem et Pharnacen cum Ariarathe coniunctum gestum est, implicitos fuisse atque in Europa, quum in Europaeorum numero positi sint, habitasse testatur.

Sauromatarum progressus in Europam, qui non multo ante ducentesimum annum a. Chr. cum procellae vi et turbine factus esse videtur, convertit ordinem rerum, qui tum inter gentes haec loca incolentes exstabat. Qui quum sive ipsi pressi ab aliis urgerentur gentibus, quae ad Caucasum accolebant montem, sive spe uberiorum fructuum ducti, sterilibus locis, quae per tot temporis spatium incolebant, derelictis, trans Tana-

---

1) de mirabil. auscult. 832, b 9. cfr. Plin. VIII 34, 52.

2) Ael. 16, 33, 5, 27 ap. Rose, Arist. Pseudoepigraph. p. 331.

3) Strab. II 4, 1.

4) Cic. de nat. deor. I 13. Acad. II 38. de fin. V. 5. Polyb. XXII 25 c. 3.

5) Strat. ap. Strab. I 3, 4 coll. c. Polyb. IV 39, 2. Strab. ibd. coll. c. Polyb. IV 40, 4. Strab. I 3, 4 et 5 sq. coll. c. Polyb. IV 40 et 41.

6) Polyb. XXVI 6, 13.

in progressi Scytharum imbecilles gentes de sedibus demovebant, neque Graecorum parcebant coloniis, quarum laboris necessitatisque clamores in appellatione *δυςμενέοντες*, quam Apollonius [1]) Sauromatis imposuit atque in eo, quod eos subigi maximi ducit ponderis [2]), videntur resonare. Itaque everso priore ordine rerum, populorum sedibus, quae ad Maeotidem in Europa erant, novam descripserunt formam, in quos irruentes paulatim eos absorbebant. Unde evenit, ut Sauromatarum res non sine furore gestae, memoriam eorum, quae antea ab aliis Scytharum gentibus acta erant, exstinxerint, atque nomen ipsorum, aeque atque longe antea Scytharum [3]) per omnes illas effusum terras ad significandas regiones, que omnino ad septentrionem sitae erant, usurpatum sit. Atqui mos ille, e quo terrae boreales Scytharum nomine designabantur, in quas nomen Sauromatarum transiit, nondum ab omnibus abolitus est, itaque quum varie ab variis haec nomina usurparentur, summa in designandis gentibus, quae has obtinebant plagas, existit ambiguitas. Quare quum mores quoque harum gentium, qui simili modo a poetis, quos posteriores secuti sunt, describebantur, tanquam stereotypi essent facti [4]), nullum habemus subsidium, quod nos in discernendis his gentibns adiuvare possit. Huc accedit quod posteriores scriptores, qui alios secuti de his locis tractarunt, simili decepti errore, praesertim quum eorum testimonia ad sua referrent tempora, maxime perverse scripta de Sauromatis nobis reliquerunt.

Quorum omnium imaginem optime expressam apud Strabonem invenimus, qui ex variis varii aevi scriptoribus collatam notitiam harum gentium nobis profert. Enumeratis enim intervallis [5]), quae recta linea ab Meroe per Syenen, Alexandriam, Rhodum, Byzantium, Borysthenisque ostium, quo usque septentrionem versus habitaretur terra, descripsit, ultra Borysthe-

---

[1]) Argon. III. 353.

[2]) ibd. III v. 394.

[3]) Ephor. ap. Strab. I 2, 28. Strab. I 2, 27. cfr. XI 8, 2.

[4]) cfr. Strab. VII 3, 2—3 et 9.

[5]) Strab. II 5, 7.

nem ultimos Scytharum Roxolanos esse profert, qui tamen magis ad meridiem essent siti, quam extrema, quae ultra Britanniam cognita erant. Quum vero Britanniae paralleli spatium, secundum Strabonem in terrae spatium, quod est a Byzantio usque ad Borysthenis ostium, quadret atque regiones, quae supra Britanniam sunt, tria vel quattuor millia stadiorum habitari possint [1]), Roxolanos, si mensuram hanc in alterum paralleli spatium a Byzantio usque ad Borysthenem transferimus atque directa linea septentrionem versus duo tantum millia stadiorum, quia magis ad meridiem incolere dicebantur, pergimus, ad Borysthenis fontes, in Scytharum boreali parte sedes habuisse oportet. Infra eos ad meridiem habitabant Scythae et Sauromatae, quorum sedes supra Maeotidem ad orientales pertinebant gentes Scytharum nomine appellatas. Verba, quae leguntur: *νεώτεροι δὲ τούτων καὶ οἱ υπὲρ τῆς Μαιάτιδος Σαυρομάται καὶ Σκύθαι μέχρι τῶν ἑῴων Σκυθῶν κτλ.* Sauromatas in Roxolanorum confinio et quidem, quum primi dicti sint, occidentem versus ad Borysthenen habitasse, declarant, dum Scythae ad orientem magis pergere putabantur. Haec autem verba in ea, quae Strabo de Scythis supra dixerat [2]), quasi a Rhoxolanis meridiem versus ad Borysthenem habitassent, minime conveniunt, nostrumque, qui in horum locorum descriptione Hipparchum secutus est, Scytharum et Sauromatarum nomina, quorum alteri eius aetate revera his incolebant locis, mutata transposuisse ostendunt. Atque nomen Rhoxolanorum latiore significatione tanquam vagans videtur usitatum esse, aeque atque Hyperboreorum et Atlantiorum ad designandas gentes, quae omnino ultimas habitatae terrae plagas incolere existimabantur. Hoc sensu Strabo de iis hoc loco loquitur, quasi ultimi gentium noti essent, aeque atquo alio loco [3]) sub eadem appellatione occurrunt, qui ultra Germanos orientem versus ad Oceanum incognita obtineant loca, quibus utrum Jazyges, an ii ipsi, an alii quidam eorum, qui in curribus degunt habitent, non

---

[1]) id. ibd. §. 8.
[2]) Strab. l. c. §. 7.
[3]) Strab. VII 2, 4.

facile est dictu, neque an omnino per totum tractum usque ad Oceanum porrigantur. Atque quod Rhoxolani maxime septentrionales (ἀρκτικώτατοι) appellantur, qui tamen inter Tanain et Borysthenen incolunt, repugnat ei, quod Strabo[1]) eos ultra Borysthenen, et ad meridiem ab iis Scythas et Sauromatas habitare dixit, quod ea quoque eius opinio refutat, qua ignotum esse apparet, num quaedam aliae gentes ultra eos habitent.[2]) Haec ambiguitas in definiendis Rhoxolanorum sedibus paulo infra magis perspicua est, neque ullo modo tolerari potest. Secundum Strabonem Roxolani contra Mithridatis Eupatoris legatos sub Tasio duce pugnasse dicuntur, itaque minime po ii ducendi sunt, qui ultimi Scytharum ultra Borysthenen habitabant, quum neque Mithridatis legati usque eo penetrasse existimandi sint, et Strabo ipse[3]) locum rerum ab iis gestarum distincte prodens in describendis quoque eorum moribus sedes ad Pontum inter Borysthenen et Maeotidem paludem Rhoxolanorum collocet[4]). Ex his apparet, noimen Rhoxolanorum apud Strabonem nulla certa significatione, quae ad certam spectet gentem, usurpatum esse, sed geographico sensu dictum variis gentibus, quae varia obtinebant loca, tribui, quo posteriores vero iam distinctius uni gent- affixo utuntur[5])

Neque aliter res se habet, quod ad haec attinet, quae Strabo de Sauromatis affert. E verbis, quae apud eum leguntur[6]): (Σαυρομάται) νοτιώτεροι (τῶν Ῥωξολανῶν) καὶ οἱ ὑπὲρ τῆς Μαιώτιδος Σαυρομάται κτλ. sequitur, Sauromatas supra Maeotidem paludem habitasse; particula vero καὶ videtur declarare, etiam aliis locis, ac quibus supra Maeotidem incoluerint, Sauromatas fuisse. Sedes eorum Strabo[7]) certius

---

[1]) II 5, 7.
[2]) l. c. ὑπὲρ δὲ τῶν Ῥωξολανῶν εἴ τινες οἰκοῦσιν, οὐκ ἴσμεν.
[3]) ibd. §. 18.
[4]) ibd. §. 18.
[5]) Tacit. hist. I 79. Ptolem. III c. 5 p. 200.
[6]) II 5, 7.
[7]) II 5, 30.

definit quum dicat: orientalem Europae partem ab Istro fluvio, qui ab occasu ortum versus in Euxinum influat, mediam secari, a quo septentrionem versus Germania tota a Rheno orsa et Geticus totus tractus, et Tyrgetae, Bastarnae, Sauromatae usque ad Tanain amnem et Maeotidem paludem porrigantur, quibus locis in Bastarnorum confinio et supra Pontum etiam VII 2, 4 eos nominat. Ex his sequitur, Strabonem Sauromatarum sedes cis Tanain collocare, de quibus nulla ei certa fuerit cognitio. Quum enim Sauromatas in meridie infra Rhoxolanos et supra Maeotidem paludem habitasse Strabo dicat, quorum sedes distinctius in paragrapho tricesima in orientali ora Tanaidis et Maeotidis paludis collocat, in VII 2, 4 vero omnino incertam esse eorum sedum notitiam declarat, quum dici non possit, quantum absint ab Oceano aut num usque eo pertingant. Itaque quod supra [1]) de Rhoxolanis dixerat, quasi ultimi essent Scytharum et supra Sauromatas maxime ad septentrionem porrecti degerent, hoc loco de Sauromatis contendit, quos iterum cum Rhoxolanis, qui contra Eupatorem pugnabant, confundit [2]). Perspicuum est, Sauromatarum nomen apud Strabonem nondum certo et distincto apparere sensu, sed promiscue pro Rhoxalanis et Scythis usurpatum alterum alterius vice fungi. Nam illae gentes nomades, in quarum numero etiam Sauromatae ponuntur, convenienter ad rationem vivendi simili modo nomine *Γαλακτόφαγοι*, *Ἄβιοι*, *δικαιότατοι ἄνθρωποι*, *ἀγαυοὶ ἱππημολγοὶ* iam ab Homero appellatae sunt, quas Graeci multi posteriore aevo nomine *Σκύθαι ἢ Σαυρομάται ἢ Σαρμάται* comprehendebant [3]), et quum mores earum simillimi essent, etiam in discernendis nominibus earum veteres non tam accurati erant, qui alia pro aliis, ut iam ab Homero factum est, duxerunt. Quare quum Thracibus quoque idem mos esse diceretur [4]) ac gentibus, quae supra Pontum a Graecis Sauromatarum et Scytha-

---

[1]) II 5, 7.
[2]) VII 3, 17.
[3]) Strab. XII 3, 26.
[4]) Strab. VII 3, 3.

rum nomine comprehensae[1]), habitabant, facile factum est, ut ex similitudine morum gentes ad Istrum inter se permixtas fuisse veteres statuerint[2]), atque ob hanc causam populos, qui saepius Istrum traiciebant, sive Scytharum, sive Sauromatarum nomine vocarint[3]). Quare impossibile est cuiusvis gentis, quae his habitabat locis, originem et propinquitatem certius definire, neque enim, quod semel certo nomine gens quaedam appellata occurrit, eidem hoc nomen tribuere licet, quum idem scriptor hanc ipsam gentem alio loco sub alio dicat vel ducat nomine.

Praeter Sauromatarum gentes, quae in occidentali Tanaidis fluvii et Maeotidis paludis ora habitabant, in Asia quoque degebant Sauromatae. Partes, quae orientem versus a Tanaide et Maeotide palude vergebant, quaeque a septentrione mari Oceano circumclusae in meridiem usque ad isthmum, qua iter est brevissimum ab intimo Ponti ad Caspium mare, porrectae ab ortu et occasu solis Caspio mari et Euxino ponto definiebantur[4]), obtinebant Maeotae, Sauromatae et qui inter Hyrcaniam et Pontum usque ad Caucasum et Iberos et Albanos erant, Sauromatae et Scythae et Achaei et Zygi et Heniochi etc. Hac locorum gentiumqae, quae ea tenebant, descriptione iterum repetita[5]) uberius enumerat gentes, quae hanc primam trans Tanain incolebant partem, tamen vario neque in priorem convenienti modo. Verba Strabonis ipsa apponamus[6]): *τὸ πρῶτον μέρος* (trans Tanain in parte, quam supra descripsimus) *οἰκοῦσιν ἐκ μὲν τῶν πρὸς ἄρκτον μερῶν καὶ τὸν Ὠκεανὸν Σκυθῶν τινὲς νομάδες καὶ ἁμάξοικοι* (*ἀμαξικοὶ* codd.) *ἐνδοτέρω δὲ τούτων Σαρμάται, καὶ οὗτοι Σκύθαι, Ἄορσοι καὶ Σιρακοὶ, μέχρι τῶν Καυκασίων ὀρῶν ἐπιμεσημβρίαν τείνοντες, οἱ μὲν νομάδες, οἱ δὲ καὶ σκηνῖται καὶ γεωργοί· περὶ δὲ*

---

1) Strab. VII 4, 17; I 2, 27. XI 6, 2.
2) Strab. VII 3, 2.
3) Strab. VII 3, 13.
4) Strab. II 5, 31.
5) XI 1, 5.
6) XI .

τὴν λίμνην Μαιῶται. Ex his, quae apposuimus Strabonis verbis apparet, primas septentrionem versus et Oceanum Scytharum incolere quasdam nomades gentes, quae etiam in curribus vivant, et citra has ad meridiem Sarmatas, qui ipsi quoque sint Scythae, aliasque complures vagari gentes. Haec Strabonis descriptio optime in eam quadrat, quam XI 6, 2 profert de horum locorum incolis: a septentrione *οἱ συνεχεῖς Σκύθαι νέμονται καὶ Σαρμάται οἱ μεταξὺ τοῦ Τανάιδος καὶ τῆς θαλάττης ταύτης, νομάδες οἱ πλείους*, at cum ordine, quo XI 2, 1 has enumeraverat gentes, parum cohaeret. Quum vero gentes, quae incolebant regiones ad septentrionem maxime sitas, quarum exigua pars ob frigus et incommoditates erat cognita, in Nomadum morem lacte atque pecore viverent[1]), aeque ac Scythae, ut Strabo de iis loquitur[2]), ob similitudinem morum, qui inter has omnes erant gentes, Scytharum quoque nomen iis impositum est, dum gentes, quae ad meridiem magis sitae erant, ut mansuetiores[3]) alio nomine appellatae sunt. Itaque e ratione, qua describuntur mores, qui apud Scythas Sauromatasque et alias gentes, quae ad septentrionem habitabant, similes ducebantur[4]), exstitit hoc discrimen inter Strabonis commentationes duas de his locis, quarum altera gentes maxime boreales, ut omnino plerique Graecorum scriptores, Scytharum nomine appellat, dum in altera Strabo minime hunc respiciens usum, ordinem quoque in distribuendis sedibus inter singula singularum gentium nomina neglexit. Quod vero Sauromatae in sedibus, quas secundum Herodotum posterioresque iam longe antea obtinebant, collocantur, abunde nobis ostenditur, nomen Sauromatarum primum certae cuidam genti ad Maeotidem paludem notae inditum fuisse, deinde vero latiore significatione et geographico sensu ad designandas gentes similium morum usitatum esse. Itaque quum Herodotus in orientali Maeotidis

[1]) XI 2, 2: *σαρξὶ καὶ γάλακτι τρεφόμενοι νομαδικῶς.*
[2]) VII 3, 9. VII 4, 6.
[3]) XI 2, 1 et §. 4.
[4]) Strab. XI 6, 2.

parte ad septentrionem magis porrecta Sauromatas esse acceperisset, Ephorus nomen hoc iam latius in omnes gentes, quae ad paludem accolebant, extendit, cuius usus apud Strabonem quoque, qui vel ipse vel posteriorum aliquis Maeotas pro Sauromatis duxit[1], vestigium proditur.

Nomen Sarmatarum, quo iuxta Sauromatas Strabo utitur, non idem esse atque illud videtur, sed significat certam atque a Sauromatis diversam gentem, ut ex XII 3, 26 apparet. Atque aeque incerta et ambigua est Sarmatarum nominis significatio ac Sauromatarum fuit. Hac incerta notione Strabo Sarmatarum nomine[2] iuxta Scythas utitur ad designandas gentes, quae ab Homero appellatione ex earum moribus desumpta nominatae sunt; eodem nomine gentes, quas Sauromatas dixerat[3], alio loco[4]) Sarmatas appellat, quod plerisque Caucasiorum gentibus, quae in planitie Sarmatica dicta[5] degebant, inditum est[6]; similiter Iazyges Tyregetarum affines, Sarmatae dicuntur[7], quorum fines Sauromatas possidere iam supra dixerat[8], qui iterum ultra Germaniam iisdem locis cum Sarmatis confunduntur[9].

Quod ad nomen Sauromatae attinet, non Graecam illud habere radicem, manifestum est, quod quum ab Ionibus primum acceptum esset, in hac quoque dialecto vetustissima eius forma nobis occurrit, quam aliae Graecorum gentes ipsarum generi dicendi accomodatam in Sarmatarum dictionem mutarunt. Quum autem Graeci nominum propriorum veram notionem distinctius atque firmius quam nos intelexissent, facile factum est, ut formas Sauromatarum et Sarmatarum pro diversis acceptas in diversas transtulerint gentes.

1) Strab. II 5, 31.
2) VII 3, 2.
3) II 5. 31.
4) XI 2, 1.
5) XI 2, 15.
6) XI 2, 16.
7) Strab. VII 3, 17.
8) II 5, 30.
9) VII 2, 4.

Huic convenit, quod Graeci, quum in ingenuis nominibus haud ignotam respicerent significationem, apud externos quoque populos eandem invenire voluerunt, atque hanc ob causam, quaecunque in ipsorum quadrabant notationem, ea deprompta in suum sermonem verterunt. Qua re intelligi potest, cur Sauromatas *σαυροπατίδαι* potius nominari oporteret; quae vocabula quum in priore dimidia parte eandem ostendant radicem, quae in *Σαυρο-μάται* et in Graeco *σαῦρο-ς* vel *σαύρ-α* est, alteram tantum partem non intellectam proprio supplerunt verbo *πατέομαι*, atque quum utrumque membrum in nomine *Σαυρο-μάται* reconditum intellexissent, etiam eorum notionem in hanc transtulerunt gentem, tanquam lacertis vesceretur.

Similis est ratio, qua nomen *Σαρμάται* similium significationum causa fuit, in quo Graeci suum vocabulum *σαρμός* vel *σάρμα*, quod ut ipsum vulgare in vulgari quoque sermone certissime usitatum fuit, invenerunt. Inde oxorta est illa Graecorum opinio de sordibus ciusdam gentis, quae in Sauromatarum confinio Budinorum nomine ab Herodoto appellata pediculis vesci solita esse dicebatur, atque ob hanc causam *Φθειροφάγοι* nominata est.[1]) Haec appellatio Graece tralata ex hoc turpi more desumpta esse dicitur, cuius origo deducenda est ex nomine *Σαρμάται*, in quod Graeci cum vocabulo *σάρμα* collatum alterius notionem, quae etiam vocabulis *ὑανός*, suani, inest, transtulerunt. Vocabula *φθειροφάγοι*, *υανοί*, suani, variarum gentium, quae in confinio habitari putabantur, nomina facta sunt, quorum originem ex nomine *Σαρμάται*, quod Graeci non intellctum cum proprio confuderunt vocabnlo, derivandam esse pro certo accipi potest. Quae omnia si vera sunt, sunt vero desumpta quum ex rerum natura, tum artissime in morem illum Graecorum conveniunt, quo externorum populorum nominibus propria inculcata notione in suum sermonem eadem vertebant, primitivam nominis Sauromatarum formam cognoscere possumus. Atque ex

---

[1]) Strab. XI 2, 19.

eius formis, quae variarum tantum dialectorum propria sunt genera dicendi, nomen hoc *Συρμάται* fuisse primum, evidentissime elucet. Quae res quum, quomodo duae hae formae *Σαυρομάται* et *Σαρμάται* extiterint et quas iis Graeci coniecerint significationes optime declarat, tum natura quoque sua ad originem eius gentis deducendam plurimum valet.

Iam in Amazonum fabula affinitatem quandam Sauromatis inesse cum Asiae gentibus vidimus, qui septentrionem versus per loca, quae Caucaso monti adiacent, pergentes itineris sui vestigia in variis reliquerunt nominibus, ut *Υανοί* et Suani. Haec nomina quum variae tantum sint formae eiusdem appellationis, summum dant nobis testimonium, gentes Sauromatarum vel Sarmatarum nomine comprehensas variis temporibus varia loca ad Caucasum montem sita obtinuisse. Migrationem illam Sauromatarum iam in Amazonum fabula expressam esse evidet, quod quum in rerum naturam consuetudinemque, qualis gentibus haec loca incolentibus fuerit, convenit, tum etiam aliis testimoniis, quae summae veritatis speciem praebent, comprobatur.

Atque gravissimi momenti est, quod nobis Diodorus de Sauromatarum origine et modo, quo in haec pervenerint loca, ubi eos posteriore tempore invenimus, tradit. In libro II c. 43 dicit: Scytharum reges, qui toti fere Asiae dominarentur, multas gentes in colonias deduxisse, quarum notissima Assyriorum, in terram inter Paphlagoniam et Pontum sitam missa, et altera, quae ex Media ad Tanain deducta Sauromatarum nomen acceperit, fuerint. Haec Diodori notitia quamquam coniecturae specie non caret, tamen minime dubitari potest, quin ex certo emanarit fonte. In describendis Asiae gentibus Diodorus maximam partem Ctesiam Cnidium, ut ipse prodit,[1]) secutus est, praeter quem Herodotum quoque saepius citat[2]), et alios rerum Assyriacarum et Alexandri Magni scriptores expilavit[3]), ex quibus hanc notitiam eum desumpsisse veris-

[1]) Diod. II c. 2. c. 5. c. 7. c. 15. c. 17. c. 20. c. 21. c. 32.
[2]) II c. 15. c. 20. c. 32.
[3]) II c. 7.

simile est. Quod ad Scytharum sedes in Asia attinet, quas Diodorus ad Araxen ponit, Herodotus ei consentit, qui quoque Massagetas, ab nonnullis Scythas appellatos, in oriente trans Araxen obviam Issedonibus collocat [1]), quosque Diodorus a rege Scythico eiusdem nominis derivat [2]). Araxen vero fluvium, quum apud Herodotum ex Matienarum terra in mare Caspium profluat, quo argumento Hecataeus Milesius refutatur [3]), pro Iaxarte fluvio, qui Massagetas immensae planitiei partem in oriente maris Caspii obtinentes [4]) a Cyri terra dividit [5]), usitatum esse minime latet, aeque atque Diodoro [6]), qui quum Indiam septentrionem versus a Scythia Emodo tantum monte divisam terminari proferat [7]), Massagetas iisdem locis, quae iis Herodotus tribuerat, habitasse cognitum erat.

Itaque hanc Scytharum in Asia notitiam Diodorus ex Herodoto hausisse potest, cui hoc non respondet, quod Diodorus de Scytharum et Palorum Naparumque origine commemorat, de qua Herodotus nihil affert. Secundum Strabonem Callisthenes quoque, Herodotum secutus, Araxen pro Iaxarte posuit, ex quo Diodorum, praesertim quum ille cum Ephoro et Theopompo fabulosas antiquissimorum temporum res nusquam dedita opera exsecutus esset, [8]) suam notitiam deprompsisse contendi potest. Ex iis vero, quae Diodorus de Scytharum imperii finibus affert, elucet, eum varios fontes non intellectos turbasse. Quum enim ex altera parte eorum imperium regiones montanas usque ad Caucasum obtineret, itaque ad occasum solis porrectum esset, ex altera parte planitiem inter Oceanum et Maeotidem paludem terramque ad Tanain sitam amplecteretur, fines eius ad orientem, septen-

---

[1]) Herod. I c. 201. c. 205. III c. 36. IV c. 11.
[2]) II c. 43.
[3]) cfr. Herod. IV c. 36 et Hecat. Miles. frgm. ed Klausen p. 39.
[4]) Herod. I c. 204.
[5]) Herod. I c. 205. c. 208. c. 210. III c. 36.
[6]) II c. 35.
[7]) XI 14, 13.
[8]) Diod. IV c. 1: *ἀπέστησαν τῶν παλαιῶν μύθων*. cfr. Wesseling. ad. h. l. et Geier, Alexandri M. historiarum scriptores. p. 228.

trionem et occidentem describuntur. At regio montana eorum imperii meridiem versus porrecta ad occasum usque ad montem Caucasum vergebat, a quo porro ad septentrionem Maeotide et Oceano circumclusa planites sub eorum ditione erat, ad quam haec quoque terra accedit, quae ad Tanain fluvium sita erat, itaque eadem regio, quae ab Maeotide usque ad Oceanum pergit, comprehensa est. Ex hac turbatione locorum elucet, quod Diodorus de Caucaso monte afferat, id non de Caucaso inter Pontum et Caspium mare sito, sed de Paropamiso statuendum esse, in quem Macedones conflatis plurimis fabulis, illius nomen transtulerunt. [1])

Quod si approbamus, Caucaso monte et Iaxarte fluvio, qui ex Caucaso in mare Hyrcanium profluens Tanais quoque appellabatur, [2]) fines Scytharum ab meridionali parte definiuntur, dum Oceanus orientales septentrionalesque et Tanais Maeotisque occidentales fines describunt. Scytharum, qui a Diodoro his modo a nobis descriptis locis collocantur, posteri aliquanto post fines imperii ex altera parte per Tanain ad Thraciam usque ex altera ad Nilum propagasse dicuntur. Haec notitia, quae ad varia spectat tempora, tantopere tantum cum Herodoto concordat, quod hic Scythas Cyaxare regnante ex Europa in Asiam per Caucasium isthmum irrupisse et Psametícho regnante usque ad Aegyptum progressos per XXVIII annos Asiae dominatos esse narrat. [3]) Secundum Herodotum Scytharum expeditio ex Europa in Asiam facta est, quum, Diodoro auctore, e contrario ex locis trans Iaxarten sitis Scythae totam Asiam inundarint. Manifestum est igitur, Scytharum expeditionem, de qua Diodorus quasi de una uno tempore facta loquitur, ad tria pertinere temporis spatia, quorum unum eas complectitur res, quas Scythae usque ad Tanain progressi gesserunt, alterum vero cadit in

[1]) cfr. Bernhardy ad Dion. Perieg. v. 714. Aristobul. ap. Arrian. Exp. Alex. III 28, 5; 29, 2. Eratosth. in Bernhardii Eratosthenica, p. 47. Megasthen ap. Strab. in Muelleri Frgm. hist. Gr. II p. 408.

[2]) Aristobul. ap. Arrian. Exp. Alex. III 30, 7.

[3]) Herod. I c. 103. sq.

expeditionem, quam trans Tanain in Europam susceperunt, atque tertio, concordante Herodoto, dominatio eorum in Asia comprehenditur. Quum vero Scythae plurimas Asiae gentes sub suam redegissent potestatem, dominationem eorum ex altera parte orientem versus ad Oceanum, ex altera ad Caspium mare Maeotinque paludem propagatam esse Diodorus narrat, a quibus, tota Asia subacta, maxime auctis, Sacae, Massagetae et Arimaspi quidam item atque alii plerique originem duxerunt. Haec Diodori de Scytharum in Asia imperio verba allata minime sibi respondent. Nam quum Scythae totius Asiae imperio potiti essent ipsique plurimum crevissent, fines eorum ad Oceanum et Caspium mare Maeotinque paludem pertinebant, quae loca quum a Sacis, Massagetis, Arimaspisque, ut prole Scytharum, habitata esse Diorus afferat, accuratius describit. Quare imperium eorum, quod per totam propagatum esse Asiam dicitur, iterum in eadem redigitur loca, quae Scythae iam multo antea ab initio occupata possidebant, quas quoque Diodorus primitivas Scytharum sedes ad Iaxarten inter Oceanum et Caspium mare sitas esse iam supra dixerat. Haec Diodori discrepantia, quae in eius intercedit testimonio, quo Scythae quamquam totam sub sua potestate ac ditione tenuere Asiam, in haec tamen transferuntur loca, quae iam ab initio obtinuerant, varios fontes, ex quibus Diodorus hanc compilavit notitiam, prodit. Quorum fontium quum alteri de Massagetis ad Iaxarten inter Oceanum et Caspium mare habitantibus tractarent, alteri vero de Scythis eorumque in Asia rebus gestis, Diodorus Massagetis pro Scythis ductis rebusque eorum confusis, sedes alterorum alteris tribuit. Atque vestigia eorum fontium a Diodoro ipso leniter significantur, quorum alter de Scytharum sedibus ad Iarxten eorumque rebus antiquissimis temporibus gestis, quum haud frequentes (*ὀλίγοι παντελῶς*) minimeque noti essent (*διὰ τὴν ἀδοξίαν καταφρονούμενοι*) et de rege quodam, qui fines eorum imperii ad Oceanum et Maeotidem propagaverat, tractavit; a vocabulo autem *ὕςτερον κτλ.* incipit alter fons, qui de Scytharum fabulosa origine tradens Herodoti de Scythis narratio-

nis[1]) maxime admonet. In fabula apud Diodorum Scythae originem nomenque a Scytha, echidnae et Iovis filio, cuius proles imperii fines trans Tanain in Europam propagavit, sumpsisse dicuntur, aeque atque apud Herodotum filius natu minimus echidnae cum Hercule coniunctae, qui non est alius, quam Iuppiter apud Diodorum,[2]) atque secundum alteram Scytharum narrationem ex Borysthenis filia Targitaon procreavit,[3]) eorum gentis auctor est. Huius fabulae fontem Graecum esse, quod etiam Herodotus addit,[4]) minime latet. Altera quoque Scytharum originis exstabat fabula,[5]) quae Scythas ex Asia in Europam inducit, qui quum in Cimmeriorum fines ingressi eosque persecuti essent, in Asiam retro irruerunt[6]) atque Medis superatis[7]) totaque subacta Asia per XXVIII annos eam depopulati[8]) sunt. Ex his duabus narrationibus collatis Diodorus suam notitiam desumpsit, qui quum de Scytharum in Asiam irruptione accepisset, eorum rebus ibi gestis immoratur. Atque maximi esse momenti ei visum est, quod Scythae ad Pontum et Maeotidem paludem colonias deduxerant, et quum apud eos ordo rerum mutatus esset[9]), mulieres, fortitudine excellentes, regimen obtinuerunt. His mulieribus regnantihus multa praeclare gesta sunt; nam quum Cyrus contra Scythas expeditionem fecisset, a regina eorum victus captusque cruciatus est (*ἡ βασίλισσα τῶν Σκυθῶν .... κατέκοψε ... ἀνεσταύρωσε.*) Omnis haec Diodori narratio de Scythis in Asia eorumque rebus gestis ex Herodoto[10]) exscripta est, qui eadem de Massagetis et Cyri contra eos expeditione

---

[1]) Herod. IV c. 9.

[2]) cfr. Movers I p. 176.

[3]) Herod. IV c. 5.

[4]) IV c. 10.

[5]) Herod. IV c. 11. 12.

[6]) Herod. I c. 73.

[7]) Herod. I c. 104.

[8]) Herod. I c. 106.

[9]) Diod. II c. 44: *ἀναρχίας γενομένης, ἐβασίλευσαν γυναῖκες ἀλκῇ διαφέρουσαι.*

[10]) I c. 204—214.

affert, quae Diodorus Massagetis cum Scythis confusis in hos transtulit. Nam eadem loca, quae Herodotus [1]) Massagetis tribuerat, secundum Diodorum Scythae incolebant; quod Herodotus de Massagetarum regina, quae uxorem mortuum in regno secuta sit, dicit, (ἦν δὲ τοῦ ἀνδρὸς ἀποθανόντος γυνὴ τῶν Μασσαγετέων βασίλεια), Diodorus verbis: ἀναρχίας γενομένης ἐβασίλευσαν γυναῖκες exprimit, et regina Scytharum, quae Diodoro auctore Cyrum obtruncaverit, Herodotea est Tomyris, [2]) de qua pleraque varie fabulabantur. [3]) Itaque haec Scytharum expeditio in Asiam facta, quam Diodorus commemorat, eadem est ac quam Herodotus Cyaxare regnante ab iis susceptam esse affert: quod Diodorus de earum rebus in Asia gestis narrat, hoc ad Massagetas referendum est.

Septimo igitur saeculo colonias, de quibus Diodorus loquitur, a Scythis ad Pontum et Maeotidem deductas esse ex iis, quae protulimus, statuendum esset. Attamen Diodori notitia, quae summatim ex Herodoto repetita est, neque apud eum invenitur, neque in rationem, qua Scythae Asiae dominati sint [4]), ullo modo quadrare potest, et repugnat aliorum testimoniis, quae Assyrios iam longe antea ad Pontum commemerant. Quod enim ad coloniam, in quam Scythae Assyrios in Paphlagoniam miserint, attinet, minime dubitari potest, quin Sinopes urbis regio Diodoro in mente sit, quae tamen urbs multo antiquioribus temporibus Phoenicibus et Assyriis cognita fuit. Ad has regiones mercaturae copiosae faciendae causa via ab Euphrate exitum habebat, quae aliaeque complures ad clarissima deductae emporia quum ad summam spectarent vetustatem, a Semiramide conditae dicebantur; secundum Ctesiam [5]) Ninus haec loca ad Pontum sita et gentes barbaras, quae ad Tanain usque habitabant, in suam redegerat potestatem; ex his locis Semiramis in expe-

---

[1]) I c. 204.
[2]) I c. 214.
[3]) cfr. Baehr, Ctesiae frgm. p. 98.
[4]) Herod. I c. 106.
[5]) ap. Diodor. II c. 2.

ditione contra Indos suscepta gentes auxiliarias secum duxit.[1]) In hoc convenit, quod Scylax Caryandensis [2]) terram ad Thermodontem et Halyn inter Paphlagoniam et Chalybes sitam Assyriam vocat, aeque atque Apollonius [3]), et scholia ad hunc locum fines eius inter Halyn et Irin extendunt, quibus locis Dionysius Periegetes in Amazonidum finibus ad Thermodontem Assyriam novit [4]). Ex his apparet, Assyriorum vestigia his locis ad multo antiquiora spectare tempora, quam quibus Diodorus eos ad Pontum deductos esse statuerit, quorum nomen, quum Syrorum nomen suscepisset [5]), Syri quoque his locis, etiam Leucosyri appellati, commemorantur [6]), qui secundum Scymnum Chium [7]) ut indigenae Sinopen primi incolebant. Quam ob rem quod Diodorus de Scytharum colonia in haec loca missa profert, ipsius est coniectura, qui quum de Assyriis his aceeppisset locis, quibus Scythae quoque commemorabantur [8]), sufficientem causam habuit, ut Assyrios Scytharum colonos in has pervenisse regiones statueret.

Atque quod de Sauromatis Diodorus protulit, ipsius coniecturae eandem praebet naturam. Iam ex verbis, tanquam Sauromatae quum ad Tanain consedissent et post multos annos magnam Scythiae partem depopulati incolas eius bello superatos delevissent, satis apparet, in iis res omnes, quas Sauromatae per totum temporis spatium usque ad Diodori aetatem gessissent, summatim leviterque perstrictas tanquam historiam eorum contineri, quae quoque ob hanc causam ex Diodori vel cuiusdam alius notitia effluxerunt. Cur vero Diodorus Sauromatas a Scythis ut colonos in haec loca missos fuisse statuerit, minime latet. Sauromatarum enim originem

---

[1]) Suid. s. v. Semiramis.

[2]) Peripl. §. 89. ed. Mueller.

[3]) Argon. II 946 et 964.

[4]) Dion. v. 772. cfr. Eustath. ad Dion. p. 135. ed. Huds.

[5]) cfr. Duncker, Gesch. d. Alterth. I p. 107. Noeldecke l. c.

[6]) Herod. I c. 72. Hecat. Miles. frgm. 194 et 350 ed. Klausen. Artemidor. in Schol. ad Apolln. II 964. Strab. XII 3, 5, §. 9. §. 12. XVI 1, 2.

[7]) Orb. descrpt. v. 941. Mueller.

[8]) cfr. Eustath. ad Dion. v. 783 et 772.

ab Amazonibus cum Scythis consociatis iam Herodotus[1]) deduxerat, atque Diodorus ipse[2]) Scythicas mulieres cum Amazonibus confundit, quibuscum Sipylos Scytha, eodem auctore[3]), pugnat atque quum Scythae cum Amazonibus congregati ad Tanain fluvium consedissent, non potuit Diodorus, quin huic fabulae speciem, quae magis ad res vere gestas spectaret, tribuerit. Quod vero Sauromatas Medorum prolem vocat, non ad ipsius spectat opinionem, sed ex certa depromptum est notitia. Loca, quae ad Caucasum montem sita sunt, iam antiquissimis temporibus maxime frequentata esse, e plerisque testimoniis, quae apud scriptores veteres inveniuntur, contendi potest; atque clarissimas divitias huius terrae iam Homero[4]) notas ad illam aurei velleris fabulam componendam plurimum valuisse a nonnullis statuitur[5]). Neque minus ad veritatem convenit, quod de Assyriorum vestigiis his locis narratur, quorum fines usque ad has porrecti erant regiones[6]), quibus Dioscurias urbs commune fuit finitimarum gentium emporium[7]). Nabocodrosorus, qui magis quam Hercules apud Chaldaeos, antiquitus Chalybes nominatos[8]), in Thraciam et Pontum copias duxisse[9]) atque in dexteram oram Ponti colonias misisse dicitur[10]). Atque quod Artemidis-Astartes fabula ad Pontum potissimum nota erat, quam Amazones ad Tanain usque, Amazonium unde dictum[11]), secutae ibi quoque maxime inclaruerunt, certam habet rationem, quae in locorum natura et gentium affinitate cum Asiaticis nititur.

---

1) IV c. 110 sq.
2) II c. 44. Justin. II c. 4. P. Oros. I 14.
3) Diod. III c. 55. P. Oros. I 14.
4) Il. II 857. cfr. Strab. XII 3, 19.
5) Strab. XI 2, 19. Appian. b. Mithrid. c. 103.
6) Diod. II c. 2. Justin. II 3, 18. cfr. Movers II, 1, p. 295.
7) Strab. XI 2, 16. Plin. VI 5, 15.
8) Strab. XII 3, 19.
9) Megasthen. ap. Strab. XV 1, 6.
10) Megasthen. ap. Euseb. Praep. evang. IX 41. Mueller Frgm. hist Gr. II p. 417. Joseph. contr. Apion. I 20. Antiq. X 11, 1.
11) Plut. de flum. Huds. p. 27.

Quae omnia quum artissime sibi respondeant, multum ad veritatem loquuntur, Assyrios vel omnino Asiaticas gentes his locis saepissime versatos esse atque iuxta Cares, qui, ut distinctim Plinius tradit [1], ad ostium Tanaidis fluvii, ubi Ptolemaeus [2] Caroeam vicum novit, finitima primi tenuere, fructus opesque horum locorum per mediterranea, ut Ezechiel [3] iam hoc annotat, abstulisse. Haec omnia testimonia, quae quum ex fabulis, quarum origo ex Asia deducenda est, tum ex scriptoribus haud despectae auctoritatis dilucidantur, consuetudinis, quae inter gentes haec incolentes loca vetustissimis fuerit temporibus monent, atque notitiam a Diodoro nobis prolatam comprobant. Quae res quum non coniectura sola, sed mirum in modum omnibus testimoniis, quae ad hanc notitiam spectant, teneatur, nulla in hac causa dubitatio inesse potest, quin gentes ad Maeotidem paludem Assyriorum Medorumque sint proles, quarum Medi quum his locis, priusquam ab Assyriis subiecti sunt, plurimum valuissent [4] sive ipsi negotiandi causa ibi emporia condiderunt, sive coloni, ab Assyriis subacti, eo missi sunt. Quod si pro certo accipimus pleraque, quae in fontibus ad has spectantibus gentes, fabulis magis similia inveniuntur, perspicua nobis erunt atque abiectis Graecorum additamentis rerum vere gestarum naturam exhibebunt. Itaque ob hanc causam Amazonum fabulam vetustissimum fontem eorum, qui ad perlustrandas Sauromatarum res gestas pertinent, statuere nos oportet, qui Diodori et Plinii [5] testimonio explicatur; tum naturam quoque bellicosam Sauromatarum mulierum Artemidis sacerdotum modi, quo eam colebant, exempla sequi videmus; atque quod Herodotus [6] de Amazonibus narrat, quasi vestes viriles ferant, hoc optime in Assyriorum Medorumque habitum convenit, qui Sauroma-

---

1) VI 7.
2) III 5, p 199: Καροία κώμη, cod. Fontebland. Καρία.
3) XXVII 13 sq.
4) Diod. II c. l. cfr. Duncker, Gesch. d. Alterth. II p. 416.
5) VI 7, 19: Sarmatae Medorum soboles.
6) IV c. 116.

tis ac Medis simillimus aeque atque armatura fuisse dicitur [1]). Quocum convenit, quod gens, quae in Sauromatarum confinio ab Argonauticorum poeta collocata est, pulchre tunicata (ἁβροχιτῶνες) appellatur, cuius appellatio quum aevo, quo Graeci in haec pervenerunt loca, accommodatissima est, tum simillima rationi, qua nobis Ezechiel [2]) Assyriorum Medorumque habitum describit; similiter altera gens eorum vicina, ab eodem poeta nomine βαθυχαίτων vocata, curam comae, quae Assyriis comendorum capillorum maxima fuit [3]), singularem habuisse videtur, atque ob hunc morem ita appellata esse. Si sub variis appellationibus, quae ex proprio his stirpibus more desumptae sunt, una eademque gens Assyriorum cum Medis consociatorum nobis occurrit, aliorum quoque nominum, quae singulis in Sauromatarum confinio gentibus erant, eadem est ratio. Itaque quod ad Budinorum nomen attinet, quos Sauromatis confines Herodotus [4]) dicit, non alienum est a Budiis, Medorum gente [5]), quum forma Budini, addita tantum litera n numeri pluralis designandi causa, exstiterit; atque Geloni in Budinorum finibus habitantes, [6]) eadem ratione non alii sunt, quam Gelae, Cadusii quoque appellati, qui in Amazonum, Scythae quoque a Strabone [7]) nominatarum, confinio inter Cyrum et Araxen fluvios ab initio sedes habuerunt, [8]) ex quibus expulsi [9]) septentrionem versus progressi sunt. Haec nomina variarum gentium, quae propinquitatis serie inter se cohaerebant, variis temporibus mutata et

---

[1]) Pompon. Mela. III 4, 1. Ammian. Marcell. XXXI 2, 17. Tacit. Germ. c. 17.

[2]) XXIII 6, 2.

[3]) vid. Layard, Nineveh. T. II p. 319 sq.

[4]) IV c. 21.

[5]) Herod. I c. 101.

[6]) Herod. IV c. 108.

[7]) XI 5, 1.

[8]) Strab. XI 7, 1; 8, 1. Plut. vit. Pomp. c. 35. Dion. Perieg. v. 1019. cfr. Bernhardy ad h. l. et Anonym. Paraphras. ad Dion. p. 30. Huds.

[9]) Diod. II c. 33.

a Graecis depravata quum iter, quo hae gentes in eas pervenerint regiones, tum etiam tempus, quo altera alteram secuta sit, definiunt. Quum enim Assyrii, Syrorum nomine a Graecis appellati, iam antiquitus usque in haec loca fines suos propagassent, cum Medis aliisque pluribus gentibus consociati ad Ponti oram emporia habebant, quos Graeci, quum Assyriorum et Medorum gentes clarissimae iisque notissimae essent, earum nomine Syro-Madai, quod a Scylace sub forma Syrmatai servatum est, nominarunt. Atque hae gentes, quas aliae pleraeque, ut primum agmen, ex Asia secutae sunt, quum ob similitudinem morum habitusque, tum, quod gravissimi momenti est, propter sermonem haud dissimilem,[1] propinquitatis vinculo coniunctae in unius populi corpus coaluerunt, atque Sauromatarum vel potius Syrmatarum quasi gentilitatis communi nomine a Graecis comprehensae sunt.

[1]) cfr. Schaffarik, Slav. Alterth. ed. Wuttke I p. 359. Boeckh. Corp. inscript. Gr. II p. 112 117.

VITA.

Ego Antonius Kalina natus sum a. d. X. Kal. Iunias anni MDCCCXLVI in vico Krempa, in magno ducatu Posnaniensi sito, patre Simone et matre Maria e gente Kostrzewa, quam dilectissimam sexto anno post me editum mortuam maxime lugeo. Prima literarum elementa in patrio vico didici; tum gymnasio Ostroviensi auspiciis doctissimi viri Engeri adscriptus, per sex annos frequentavi; deinde Sremae gymnasium petivi, quod vir illustrissimus Stephanus summo cum literarum emolumento gubernabat gubernatque. Duobus annis post testimonium maturitatis academicae adeptus, universitatem literariam Viadrinam adii, ut nomen apud facultatem philosophicam ederem. Scholis VV. Ill. Braniss, Hertz, Junkmann, Nehring, Reifferscheid, Rossbach, per tria semestria interfui; tum Vratislavia relicta Berolinum discessi. Hic audivi scholas VV. Ill. Curtius, Droysen, Geppert, Haupt, Huebner, Kirchhoff, Mommsen, Steinthal, Trendelenburg, quem nuper morte abreptum cum omnibus huius academiae civibus valde doleo. Societatis philologicae ab Ill. Huebnero institutae sodalis factus, per duo semestria huius viri benevolentia in studiis exercendis usus sum. Quibus viris et reliquis praeceptoribus, de me optime meritis, animo pio gratiam quam maximam refero semperque habebo.

Theses.

I.

Hom. Il. A. v. 611 optime cum initio libri secundi consentire contendo.

II.

Apud Herod. IV c. 116: καὶ διαίτῃ ἀπὸ τούτου χρέωνται τῇ παλαιῇ τῶν Σαυρομ ατέων (αἱ γυναῖκες) nomen Σαυρομ ατέων minime cum Hansenio (Ost-Europa nach Herodot p. 101) in Ἀμαζόνων mutandum est.

III.

In vita S Adalberti auctore Brunone c. 4 (Pertz M. G. SS. IV, p. 597) pro Pruzis scribendum est Ruzis.

IV.

Perennis, Praefectus Praetorio, an. CLXXXII p. C. interfectus est.

V.

Corpus S. Adalberti, episcopi Pragensis, Gnesna Pragam revera per Bracislaum ducem translatum est.

VI.

Cognitionis rerum a Boleslao I (Saevo) gestarum Cosmas incertus auctor est.